ACCADEMIA DI MEDICINA DI TORINO

C V 10

CAROLI DE MERTENS

MEDICINAE DOCTORIS

OBSERVATIONES

MEDICAE

DE

FEBRIBUS PUTRIDIS, DE PESTE,

NONNULLISQUE ALIIS MORBIS

TOM. I.

TICINI MDCCXCI.

Sumptibus (Typographiae Monaſterii S. Salvatoris et
(Balthaſſaris Comini Bibliopolae.
Rei literariae Cenſorib. permittentibus.

Seclusis practicis observationibus, id quod vel mihi, vel alii cuilibet pro ratione habetur, nihil fortasse erit aliud, quam rationis umbra aut phantasma, hoc est, mera opinio. Sydenham. Dissert. epistol. de variol. confluent.

PRAEFATIO.

In Ruſſiam Anno 1767. *ad officium Physici Orphanotrophii Moscuensis vocatus, ibi sex annos moratus sum, praxim medicam in populoſiſſima hac urbe simul exercens. Viennam redux observationes meas in ordinem redigere incepi, illasque nunc offero, quae in emolumentum artis magis cedere poſſe mihi videntur.*

Inter tot tantosque morbos, qui humanum genus affligunt, nulli tantam stragem intulerunt, quam febres, quae ob degenerationem humorum in putredinem tendentem, putridae dicuntur.

Has generaliter diſtinguo in synochos putres, ſive continentes putridas; biliosas putridas continentes et remittentes, ubi corrupta bilis ab initio dominatur; et nervosas putridas, quae cum symptomatibus nervosis lentius incipiunt. Haec quoque ultima species, quando ſine inſigni calore, cum subita virium proſtratione, invadit, typhi, vel febris proprie malignae nomine inſignitur. (a) *Ad morbos putridos acutos peſtis quoque pertinet: horum enim princeps eſt.*

Morbus multos in eadem urbe, vel regione, quodam tempore invadens, epidemicus dicitur.

Morbi epidemici varias causas agnoscunt, quibus populares evadunt: 1. alimenta multis communia, corrupta, vel alia quadam qualitate noci-

(a) Vid. Van Swieten Comment. in aphorism. Boerhaavii ad §. 736. Tom. II. pag. 441. et Sauvages Nosologia Tom. I. pag. 308.

civa; sic in annonae penuria (a) *in urbibus diu obseſſis* (b) *febres putridae multos homines auferunt*: 2. *Atmospherae qualitates sensibiles; frigus vel calor nimis intensi, vel diu durantes; tempeſtates humidae siccae; subitae harum mutationes; aër inquinatus effluviis putridis aquarum ſtagnantium, animalium putrescentium etc. morbos populares progenerant varii generis; plures febrium inflammatoriarum, intermittentium, putridarum species, innumerosque alios affectus, qui plurimos simul afficiunt* 3. *Morbi epidemici saepiſſime occurrunt*, (c) *qui nec qualitatibus sensibilibus atmosphaerae, nec alimentis adscribi poſſunt, sed videntur omnino pendere a cauſis sensus noſtros fugientibus, quas tamen, cum omnes indiscrimi-*

 na-

(*a*) Langsvert Historia medica morbi epidemici sive febris putridae Bohemiae anni 1771, 1772.

(*b*) Van der Mye de morbis Bredanis.

(*c*) Sydenham. Sect. I. Cap. II.

natim afficiant cuiuscunque conditionis homines, in aëre, quo nemo carere poteſt, haerere merito credimur; ad hanc speciem referenda eſt epidemica conſtitutio, quae per tres annos Moscuae invaluit, cuiusque mox hiſtoriam recensebo: 4. dantur praeterea morbi, qui per solum contagium inter populos graſſantur, et quorum seminium e corpore morbido in sana per immediatum contactum, vel fomitem illi recipiendo fovendoque aptum, defertur, in hisque ſimillimum affectum producit; variolae, morbilli, peſtis hoc modo propagantur. Diversae atmosphaerae qualitates vim contagii augere, vel minuere valent, et corporibus humanis talem dispositionem inducere, qua facilius illo afficiuntur, aut ipſi quodammodo reſiſtunt, unde morbi contagioſi quandoque lento paſſu procedunt, alio tempore furore maximo regiones devaſtant, et sub aliis circumſtantiis ſilent aut omnino evanescunt: 5. accidit praeterea nonnunquam, quod duae, vel plu-

res

res ex his cauſis concurrant, et unitis viribus hominum perniciem conſlent: sic v. g. febres putridae, quae effluviis aquarum ſtagnantium in locis paludoſis originem suam debent, contagiosae quoque fiunt.

Morbus epidemicus, qui per aliquot ſucceſſivos annos dominium obtinet, ſtationarius, omnibus indifferenter annis communis, intercurrens a Sydenhamo nuncupatur; (a) qui perpetuo eiusdem regionis incolas affligit; endemius dicitur: hic a conditionibus quae in hoc loco stabiles sunt, ortum ducit.

Conſtitutio epidemica, in qua tribus ſucceſſivis annis febris ſtationaria putrida diverſis modis homines invadebat, regnavit MOSCUAE *annis* 1768. 1769. 1770. *Cum naturam atque decursum morborum putridorum acutorum tam in hac epidemica conſtitutione, quam aliis temporibus et locis, obſervandi occaſio mihi saepiſſi-*

(a) Sect. VI. Cap. I.

piſſime nata fuerit, febrem hanc ſtationariam describendo omnia, quae circa illos alicuius momenti eſſe iudicavi, adducam.

Febres putridae ubique, omnique tempore sporadice occurrunt, et praeteritis temporibus multos e vivis tollebant. Methodus vero curativa, quae noſtro aevo invaluit, quamque Sydenhamo, Huxhamio, Pringlio, Swietenio, Tiſſoto, et Haenio debemus, maxima efficacia illas debellat. Tanti nominis Virorum paſſus premere conatus, in eorum verba non iuravi, sed ipsam naturam magiſtram semper habui.

Omnium morborum teterrimus, maximeque humano generi infeſtus, pestis, nunquam in noſtris regionibus sponte nascitur; sed ex Aegypto et Aethiopia oriunda (a) *per merces Constantinopolim in aliasque Imperii Turcici partes defertur. In incunabulis suis*

(*a*) Proſper Alpinus de Medic. Aegyptior.

ſuis remaneret hic morbus, niſi talis eſſet naturae, ut per fomitem eius seminium procul deferri poſſit. Merces, praecipue lana, goſſypium, linum, cannabis, et telae ex illis textae, chartae, animalium plumae, pili, et pelles, miasma receptum diu servare valent, praesertim, si libero aëri non sunt expositae, sed compactae manent.

Omnes Europae gentes Chriſtianae, quae cum Aegypto commercium agunt, maximas adhibent cautelas; explorationem mercium, et moram quadraginta dierum imperant, antequam naves inde venientes portus intrare ſinant, quo conſtet, an sanae, anne infectae sint. Soli Turcae fatalcm neceſſitatem omnium rerum contingentium, ex religionis suae inſtituto, credentes, omnem cautelam respuunt; unde quotannis peſtis, minori vel maiori vi, inter illos grassatur. Coacti fuerunt itaque omnes principes, quorum dominia Turcarum terris conſinia sunt, vel quo-

rum

rum subditi cum illis commercium agunt, iisdem ac cum Aegypto, cautelis uti, sicque reliquae Europae regiones a peſte integre liberae permanent, nisi ex negligentia quadam in illis observandis subrepsit. (a) *Difficilior vero res evadit, quando bellum cum Turcis agitur, quod quidem maiorem communicationem requirit.*

Russi anno 1769. *adversus Turcas bellum iniverunt. Pestis quam Turcae in Valachiam et Moldaviam intulerant, non solum inter illos grassabatur; sed has provincias, exercitum Ruſſicum et Podoliam devaſtavit. Cautelae quaedam circa fines Imperii Rus-*

(*a*) Sydenhamus pestem Londinensem anni 1665. describens, refert, illam intervallis triginta, vel quadraginta annorum orbem Britannicum cum tota furiarum acie aggressam esse. Ab illo tempore integrum saeculum praeterlapsum est, absque eo quod Anglia hanc cladem viderit, dum alias regiones, Hungariam, Germaniam, Italiam, Galliae provincias australes, Lusitaniam, Poloniam, Russiam depraedabatur.

Russici meridionales et occidentales adhibitae sunt, sed non sufficientes, nec satis ſtricte observatae, unde contagium initio anni 1770. Kioviam et exeunte eodem anno Moscuam usque penetravit (a)

Iam ab antiquissimis temporibus tantum terrorem incutiebat hic morbus, ut omnes neglexerint eius naturam, et propagandi modum inveſtigare, horrendis calamitatibus causas ſtupendas et supernaturales semper tribuentes. Sydenhamus, observatione duce, semitam veritatis primus pede preſſit, a qua tamen nonnunquam aberravit, opinionibus vulgaribus seductus. Inter recentiores loimographos caeteris, me iudice, palmam praeripit noſter Chenot.

Plures observationes desiderantur circa morbum hominibus adeo funeſtum

---

(*a*) Vid. infra Part. II. Cap. I. difficillimum quidem erat adeo extentos limites custodire, belli praesertim tempore.

ſtum ad eradicanda praeiudicia, quae apud multos adhuc valent: quapropter operae pretium iudicavi, obſervationibus de febribus putridis hiſtoriam peſtis Moscuensis adnectere, quo facilius intelligatur, in quibus conveniunt, et quaenam differentia eſt inter illas (cum quibus saepe confunditur) Europae indigenas, et hanc, quae ibidem nunquam apparet, nisi aliunde allata fuerit. Omnis sic error impoſterum vitari poterit, peſtisque in principiis agnosci, et facile exſtingui, antequam incendium evadat nullis viribus superandum: nec metus amplius erit, ne Medicorum error populis vanum terrorem iniiciat, aliis morbis peſtis nomen tribuendo.

Ne quis vero, eo quod epidemicam conſtitutionem morborum putridorum immediate peſtis secuta eſt, credat, hanc productum eiusdem conſtitutionis fuiſſe, vel febres putridas, tanquam praecursores, illam semper praecedere: nullus enim nexus erat inter peſtem et noſtram febrem ſtatio-

na-

nariam ; sed fortuito accidit bellum inter Ruſſos et Turcas tunc temporis exortum, negligentiamque, contagio introitum dediſſe. Non minus alienum foret, peſtis huiusce originem ex illo fonte deducere, quam credere, epidemicos morbos bellum Turçicum excitaſſe. Equidem initium et progressus peſtis enarrando, praeter huius characteres eſſentiales, demonſtrabo, nullos alios morbos epidemicos toto hoc anno, et ipso anni tempore, quo recurrere solebant, graſſatos fuiſſe; contagium lento gradu proceſſiſſe, eosque ab initio tantum affeciſſe, qui cum aegrotis in iisdem aedibus habitabant, donec calore aeſtivo miasma vires susceperit, et subtilius factum solo aegrorum, vel rerum infectarum contactu homines inficeret: dum e contra epidemicae febres antecedentium annorum, hyemali tempore incipientes, ad ſtatum suum cito perveniebant, et circa aeſtatem evanescebant; adeo ut morbi diversae omnino naturae et originis pronunciari debeant.

Trac-

Tractatum de peſte legendo, exſpectabit fortaſſe quis, novum et specificum quoddam adverſus ipſam reperire medicamentum. Fateri debeo, nihil adhuc in rerum natura repertum eſſe, quod tam ſubtili veneno intra corpus humanum recepto, obſtare, et eius vim deſtruere, vel ſaltem adeo frangere valeat, ut multi evadant. Quapropter inutile et ſuperfluum hoc opus iudicaſſem, nec illud publici iuris unquam fecissem, niſi vidiſſem innumera praeiudicia, quae multos occupant, et in ipſis Medicorum libris reperiuntur, ſemper anſam dediſſe ignorantiae et adulationi, quo obſtarent optimis cautelis, quibus malum arcetur a finibus imperiorum, vel in regiones ingreſſum, in ipſo principio ſuffocatur. In omnibus fere hiſtoriis peſtis, in quacunque Europae parte regnantis, legimus Medicos ab initio in diverſas abiiſſe ſententias, illosque, qui affirmabant, morbum graſſari incipientem, peſtem non eſſe, maximam gratiam apud omnes obtinuisse;

se; dum alios, contrariam sententiam tuentes, odio proſequebantur cives, donec publica calamitas, nullis amplius vinculis coercenda, probos et doctos ab iniuſtitia et ignorantia vindicaret.

Statim ac notum est, pestem regionem, vel urbem occupare, omnes incolas terror invadit; ſibi suisque nullam superesse salutem credentes, meticuloſi, perpetuis animi pathematibus excruciantur, vel fuga imminens periculum vitare tentant, alii praeservatoriis remediis, quae in libris, et apud vulgus maxime decantantur, fidentes, omnem cautelam respuunt, se suosque in periculum praecipites dant. Ideoque non inutile opus iudicavi, in re tanti momenti veritatem a caligine fabularam et praeiudiciorum, quibus, ceu densa nube circumdata eſt, liberare; ut omnibus eluceat, quomodo hoc malum a finibus regionum arceri debeat, et infortunio introductum, dignosci et superari poſſit; utque multo-

torum inani terrori, aliorumque temeritati iuſti limites ponantur. Utinam hi mei labores, haec conamina, humano generi proficiant!

PARS I.

Constitutio epidemica Moscuae annis 1768, 1769 et 1770 observata.

CAPUT I.

Febris catarrhalis putrida anni 1768.

Exeunte anno 1767. paulatim graſsari coeperunt Moscuae febres catarrhales putridae: aegrotantium numerus augebatur initio anni 1768. Multos affecit hic morbus epidemicus ad aequinoctium vernale usque; dein senſim senſimque et symptomatum gravitate et numero decumbentium minue-

batur, tandem ineunte Maio diſparuit.

Hiems, ut ſolet, frigidiſſima erat, a medio nempe Januario ad finem usque Februarii intenſum gelu, inter 12. et 24. gradus infra o Thermometri Reaumuriani, cum tempeſtate ſerena vigebat; deinde paulo mitius, inter 10. et 18. gradus, ad medium Martii fuit. Pluvioſa tempeſtas tunc locum obtinuit, et verſus 10^{mam} Aprilis (*a*) glacies fluminum evanuit. Toto hoc temporis ſpatio ex quocunque in ſex rebus non naturalibus errore in morbum epidemicum incidebant. Morbi vere inflammatorii rariſſime tunc occurrebant, quamquam manifeſtae atmoſphaerae qualitates, frigus, et ſiccitas, illos procreare debuiſſent.

Con-

(*a*) Numerum dierum, quando de Ruſſia agitur, iuxta veterem ſtylum (Calendarium Julian.) notavi, qui undecim diebus a noſtro differt.

Primum stadium.

Conquerebantur in primo insultu omnes de frigore, inappetentia, amaritie oris, lumborum capitisque doloribus: haec sequebatur horripilatio, dein calor ingens cum dolore pectoris, praecipue in dextro latere, respirandi difficultate, nausea et agrypnia. Lingua alba, tuſſicula plus minusve moleſta, spiritus foetens, facies rubicunda, oculi inflammati, cutis arida, pulsus fortis, frequens, urinae crudae, observabantur. Sanguis tunc missus craſſamentum offerebat spiſſum, cruſta inflammatoria nonnunquam tectum.

Secundum stadium.

His ad finem tertiae, vel initium quartae diei productis, succedebant anxietates, debilitas, respiratio difficilis ſine dolore pectoris; pulsus debilior et frequentior; lingua muco spiſſiori flavoque obducta, capitis dolores acutiores erant, et sitis magis urgebat. Aegri perpetuo querebantur de dolore et sensu ponderis

ris sub scrobiculo cordis. Urinae crudae remanebant, quandoque turbidae, vel cum levi enaeoremate; oculi collapsi erant, mens inquieta; excrementa alvi valde foetebant. Ad octavam vel nonam diem haec periodus protrahebatur.

Tertium stadium.

Omnia signa solutionis putridae humorum tragoediam tunc incipiebant. Pulsus parvus evadebat et valde frequens; capitis dolores continui erant cum subdeliriis, lingua arida et fusca, vox tremula; tinnitus et susurrus aurium aegros molestabant, surdaſtri fiebant. Facies pallidiſſima observabatur cum parvis maculis purpureis in genis, iactatio perpetua; manus tremebant, spiritus foetebat et oculi fixi, luctuosi, squalidi erant. Excrementa alvi biliosa, flava, vel rufi coloris, foetorem intolerabilem emittebant. Petechiae primo in pectore et collo, dein in brachiis erumpebant; has haud raro comitabantur miliaria alba. Suſur-

rus

rus aurium et auditus difficilis cum pulsatione carotidum in absolutam surditatem abibant. Mentis denique alienatio accidebat, aeger continuo delirans, verba inarticulata proferebat, mox clamans, mox ridens, floccos colligens. Subsultus tendinum percipiebantur, primo motus tremuli sub digitis, pulsum explorando; deinde fortiores, membra in motum ciebant, quandoque caput et extremitates, quasi convellebant. Lingua, fauces, labia, totum os, cruſtam aphthosam densam, fuscam, nigramve offerebant; nares quoque ſiccisſimae erant; deglutitio difficilis: pulsus parvus, frequentisſimus remittebat, aut intermittebat. Alvi conſtipationem nonnunquam excipiebat diarrhoea cum foetore excrementorum cadaveroso. Sudor frigidus, extremitates gelidae, singultus, ſtertor, deiectiones involuntariae ipsis insciis, vibices, haemorrhagiae, tandem convulsiones, aegros mox animam efflaturos esse, nunciabant: quod inter decimam et

decimam quartam diem ut plurimum accidere ſolebat. Quando hanc ſuperabant, maiorem ſpem fovebamus; ſed vigeſima prima exantlata, plurimi evadebant, quamquam graviſſimis symptomatibus ſtipatus fuiſſet morbus.

Curatio.

Primis hoc morbo decumbentibus propter symptomatum gravitatem, inflammationem mentientium, in primo ſtadio ſanguis ſemel, vel bis miſſus eſt, ex quo levamen per aliquot horas percipiebant, ſed paulo poſt in ſummam debilitatem incidebant. Cum vero obſervaviſſem ſecundum et tertiam morbi periodum inde acceleratas multoque graviores factas eſſe, et plures ex illis qui hanc evacuationem non fuerunt paſſi, evaſiſſe, a phlebotomia fere in integrum abſtinui, et nonniſi ſumma urgente neceſſitate in plethoricis, illam inſtitui permiſi.

Inter praeſtantiores Medicinae ſcriptores plures venae ſectionem in

pri-

prima periodo febrium putridarum laudant; attamen obſervavi in hac et aliis regionibus, in febribus huius generis, non ſolum epidemicis, ſed et ipſis ſporadicis venae ſectionem ſaepiſſime ſuperfluam, imo noxiam fuiſſe: ſpuria enim illa ſymptomata inflammatoria in primo tantum orgaſmo febrili apparent, nullumque vitae periculum afferunt, ſed mox ſolutioni humorum locum cedunt, cui ſuperandae vix ſufficiet natura iam morbo debilitata, arteque debilior facta. Neminem in ſimilibus morbis in prima periodo mortuum eſſe, memini, multosque vidi, natura morbum ſuperante, criſi per urinas et ſudores, vel alvum facta, ante et verſus ſeptimum diem feliciter evadere.

Cauſa morbi in qualitatibus occultis atmoſphaerae, epidemicum generantibus, haerebat; ſed aëris qualitates ſenſibiles, frigus et ſiccitas, morbum intercurrentem quoque excitabant, et hic naturae epidemici

communis participabat, in quem paulo poſt omnino transformabatur. Conſtitutio itaque epidemica morbum praedominantem conſtituit; intercurrens vero prioris symptomaticus tantum haberi poteſt: adeoque hic non requirit curam morbi essentialis, quem refert, sed febris epidemicae, cuius nunc eſt symptoma. Sic Sydenhamus notat, (*a*) pleuritidem symptomaticam supervenisse febri, quae hieme anni 1675. graſſabatur, hancque multo minus venae sectionem tulisse, quam pleuritis, quando morbus essentialis eſt: „ Generaliter tamen si loquamur, non multo plus sanguinis symptomatis ratione educendus eſt, quam febris nomine debuerat educi: namque ſi haec eius ſit indoles, ut a repetita venae sectione non abhorreat, poteſt ea repeti in pleuritide, quae eius symptoma eſt; at vero, ſi febris re-

(*a*) Sect. V. Cap. 5.

„ repetitam venae sectionem respuat, „ neque iuvabit iſta, imo nocebit „ in pleuritide, quae cum febre ſta- „ bit cadetve. " Idem auctor de Angina inflammatoria agens, quam copioſis et repetitis sanguinis evacuationibus debellandam suadet, addit: (*a*) „ animadvertendum eſt, „ quod iſtiusmodi angina, quae fe- „ bris mihi ſtationariae dictae sym- „ ptoma tantum eſt, illa ipsa me- „ thodo curari amat, quam ea sibi „ febris vindicat, ac proinde vel per „ diaphoreſim et cutis spiracula ex- „ terminanda eſt, vel per aliam qua- „ lemcunque medendi methodum, quae „ febri primariae cui inhaeret, de- „ betur: quod sedula observatione „ dignum. " In febre nova ab ipso dicta, magnus hic vir, qui adeo liberali manu alias sanguinem mittebat, die prima tantum venae sectionem

(*a*) Sect. V. Cap. 7.

nem suadet, niſi respirationis difficultas, et capitis dolor inter tuſſiendum lancinans &c. indicaverint, morbum propius ad peripneùmoniam notham accedere: (*a*) et in alio loco: (*b*) „ quo in casu non iam illa „ methodus adhibenda, quae illis „ debetur, quoties sunt morbi essentiales, at iſta potius quam poſtu„ lat sibi morbus, cuius sunt sym„ ptomata, ad quorum quidem cu„ rationem illa leviter tantum tum „ inflectenda eſt. " Clariſſimus Quarin, in optimo tractatu de febribus inflammatoriis refert, quandoque peripneumoniam occurrere, ubi putridum inflammatorio iunctum eſt, et symptomatum descriptioni addit: (*c*) „ in hac peripneumoniae specie „ venae sectio vitanda, aut parcior insti-

(*a*) Schedul. monit. de nov. febr. ingressu.

(*b*) Sect. VI. Cap. I.

(*c*) Method. curand. inflamm. Cap. V. pag. 109.

„ inſtituenda, quam in simpliciter „ inflammatoria.“

Rem itaque ſic considerandam eſſe arbitror: causa materialis noſtri morbi, epidemicae conſtitutioni originem debens, eſt in humoribus in putredinem pronis; excitato, ex qualicunque causa, orgasmo febrili, v. g. ab impedita perspiratione, sanguis spiſſitudinem inflammatoriam acquirit per auctam circulationis celeritatem, donec per ipsam febrem putredo accelerata, non solum hanc praeternaturalem spiſſitudinem humorum ad naturalem conſiſtentiam reducat, sed eadem causa septica permanens, ipsorum craſin ultra debitos terminos solvat. Priora symptomata sunt effectus imminutae perspirationis et inde acceleratae circulationis; reliqua vero producta diathesis putridae humorum, et epidemicae conſtitutionis naturam sequuntur. Si itaque respectu tantum habito ad morbi intercurrentis symptomata, quae primis diebus apparent, per venae sectiones

nes illa debellare tentamus, quantitatem cruoris minuimns, debilitamusque vires, adeo necessarias in sequentibus periodis ad reſiſtendum morbo epidemico praedominanti. Quando nullus morbus intercurrens accedebat, diathesis putrida, ſibi relicta, lento gressu serpebat, donec humores certum acrimoniae gradum nacti, solida ſtimularent, et febrem putridam simplicem inducerent.

Omnibus aegris communis erat epidemica affectio ab aëris qualitatibus occultis pendens; sed et plurimos quoque afficiebant atmosphaerae qualitates sensibiles; unde apud hosce sub forma febris catarrhalis incipiebat: quapropter febris catarrhalis putridae ipsi nomen tribuimus, cum revera eſſet synochus putris epidemica, quae coniunctam habebat in multis febrem intercurrentem catarrhalem. In ſimilibus affectibus complicatis ab ipso initio dantur quaedam phaenomena, quae morbi regnantis praesentiam Medico attento indi-

indicant. In pleuritide ſymptomatica, quae febri anni 1675. per hiemem graſſanti ſupervenerat, obſervavit Sydenhamus: (*a*) „ quotquot
„ laborabant pleuritide, ubi primum
„ corripiebantur, capitis, dorſi et
„ artuum patiebantur dolorem, quae
„ certiſſima et maxima erant febrium
„ earum omnium ſymptomata, quae
„ antequam ingrederentur pleuritides,
„ invadebant, atque illis exſpirantibus
„ adhuc durabant. Cum quoties
„ uterlibet horum intercurrentium
„ morbus eſſentialis eſt, omnibus indifferenter
„ annis pari modo aggrediatur,
„ nihil prorſus habens commune
„ cum febre ſtationaria per id
„ tempus regnante: ad haec, ſymptomata
„ omnia quae poſt emergunt,
„ magis perſpicua ſunt, cum
„ non obſcurentur et confundantur
„ ab aliorum phaenomenum, quae
„ naturae diverſae ſunt et ad aliam
ſpe-

(*a*) Sect. VI, Cap. I.

„ spectant febrim , admixtione . „ Idem observavit in febre epidemica (*a*) in qua materies morbi caput invadebat ; hanc excipiebant , a subita et notabili mutatione tempeſtatis , tusses numerosae , quibus iſta materia ad pulmones derivabatur . Isidem promptiſſime parebat remediis , quae in cura febris epidemicae comatosae profuerant ; methodus autem pleuritidem et peripneumoniam curandi , quando hi morbi essentiales sunt , non conducebat . Sufficiat his Swietenii sententiam addidisse : " quandoque morbi genius „ ab alia accedente causa mutatur , „ licet illud epidemicum maneat ut „ ante . " (*b*) Haec obiter de morbis epidemicis complicatis ; ad curationem febrium putridarum redeamus.

Me-

(*a*) Sect. V. Cap. 5.

(*b*) Comment. in aphor. Boerhaav. ad §. 1412, Tom. V. pag. 194.

Methodum nunc referam, quae mihi in curatione febris huius epidemicae, aliarumque sporadicarum eiusdem indolis, magis succeſſit. Incipiebam per laxantia eccoprotica, infusa nempe rhabarbarina cum foliorum sennae parva quantitate, sale quodam medio, manna, vel pulpa tamarindorum. Solebam, ante vel poſt haec, quoque dare scrupulum rad. ipecacuanhae: tartarus emeticus ad granum unum vel duo, magna copia aquae solutus, quoque convenit. Magnam famam ante aliquot annos obtinuit arcanum, quod sub nomine James 's powder Londini venditur; aliquid tartaro emetico simile continere videtur, eosdemque praeſtat effectus. Medicus Londinensis praeſtantiſſimus Richardus Huck, cuius amicitiam magni facio et colo, mihi de hoc pulvere sciscitanti litteris retulit, Dominum James, quando ad aegrum febre putrida laborantem vocatur, si aliqua adhuc sanationis spes supereſt, doſin arcani sui

exhi-

exhibere, quo vomitus et sudores excitantur, et immediate ad corticem peruvianum confugere.

Interposita die una vel altera a priori laxante, iterum datur remedium quoddam alvum leniter ducens; rheum cum cremore tartari, vel simile quid: diebus intercalaribus enemata pro necessitate iniiciuntur. Hoc modo primae viae liberantur a saburra, quae per calorem facile putrescens, febrem et humorum corruptionem augeret, vel dysenteriam putridam crearet.

Mixtura ex salis absinthii drachma una, succo citri saturata, additis aquae ſtillatitiae foeniculi, vel aquae communis unciis quatuor, tincturae rhei aquosae uncia dimidia vel drachmis sex, et syrupo quodam simplici, ad cochlearia duo vel tria omni bihorio usurpata, alvum liberam servat, putredini resiſtit, bilem in officina sua infarctam, et in primis viis ſtabulantem, solvit, eliminat; huius mixturae usus ad duos

tres-

tresve dies protrahitur. Eidem ſcopo, et ſitis sedandae causa, potus subadici, saponacei, maxime conveniunt: decoctum hordei cum succo citri, oxymelle simplici, vel syrupis berberum, ribesiorum, rubi idaei &c. addita in principio morbi, ubi symptomata aliqua inflammatoria adsunt, parva nitri copia, optimum potum conſtituit, ad lubitum usurpandum. Infusa pectoralia, demulcentia, illis interponebantur pro neceſſitate. Epispaſtica ex fermento panis cum farina seminum sinapi, aceto et sale, versus noctem plantis pedum alligata, capitis dolorem levare videntur.

Panatellae e mica panis cum aqua cocta, saccharo edulcoratae, cremor avenae, hordei, poma assata, pulpa prunorum, saepius de die aegris dentur; abſtineant vero a carnibus et ab earum iusculis; nec difficile aſſentiunt, aversantur enim omnia, quae carnem redolent.

His adhibitis, si natura iam par

eſt vincendo morbo, verſus diem morbi ſeptimam, lenis ſudor per totum corpus oritur, qui omnia ſymptomata mitigat; urinae turbidae fiunt; alvus liberior; lingua magis humida, ſomnus aliquot horarum ſuccedit, et aeger mox e periculo evaſurus eſt, ſi urinae, prius turbidae, ſedimentum album, coctum, ad fundum vitri deponunt. Diarrhoea benigna ſub his circumſtantiis perfectam criſin citius abſolvit.

Raro adeo feliciter et cito ſolvitur morbus, ſed adhuc in peius ruit; aeger tunc debilior fit, capitis gravitas, ſtupor et dolor augentur, omnia ſymptomata ingraveſcunt; pulſus parvus et frequentiſſimus evadit, cum reliqua malorum caterva, quam ad tertium morbi ſtadium deſcripſi.

Cortex peruvianus.

Ad corticem peruvianum, ſacram in morbis putridis anchoram, confugiendum eſt. Pulſus mollis, urinae minus crudae, denotant tempus,

pus, quo adhiberi debet. Quamdiu pulsus tensus et rigidus eſt, hoc medicamentum minime convenit, febrem auget, anxietates creat, plurimaque symptomata peiora reddit, et nullum inde emolumentum exspectari posse, experientia docet. Urinae in hoc ſtatu crudae et aquosae, delirium ingens, vel metaſtasin in viscera cum summo aegrorum periculo, aut ad externas partes cum levamine praenunciant. Quando pulsum parvum et tensum, cum cutis ariditate, et urinas ſimul crudas reperio, moschum praescribere soleo.

Moschus.

Moschi efficaciam saepe expertus sum: miro modo nimiam hanc solidorum tensionem solvit, subsultus tendinum, spasmos, variasque nervorum turbas compescit, sicque secretiones atque criticas excretiones promovet. Moschum camphorae hic praefero, minus calefacit, et effectus enarratos efficacius praeſtat, dummodo ge-

nuinus et vere orientalis ſit : cavendum enim eſt, ne huic ſibericus, fragrantia vique medica impar, subſtituatur. Adultis illum a granis sex ad decem, ter, vel quater de die forma pilulari, qua minus nauseoſus eſt, sumendum praescribo.

Hic obiter de moschi virtutibus in febribus putridis mentionem facio, cum eo uti in his morbis tantum anno 1770. inceperim, sed tantas eius vires adversus dicta symptomata reperi, ut poſtea saepiſſime ipsum adhibuerim.

In hoc morbo, ut in reliquis putridis acutis, si spem sanationis in corticem peruvianum ponimus, magnis, saepeque repetitis dosibus, quantum et quotiescunque illum deglutire poteſt aeger, dari debet. Neque ad eius usum semper exſpectandum eſt, donec manifeſta coctio observetur in urinis, alias anima nonnunquam efflari poterit, antequam talis coctio contingat; sed ubi periculum imminet, audacter usurpandus eſt, dummodo nec ple-

plethora, nec durities in pulſu obſerventur, et primae viae saburra non turgeant, quae quidem a craſſiori prius liberari debent. Corticem in ſubſtantia datum, maiorem efficaciam habere, quam alia quacunque forma, extra omnem litem experientia poſuit. (*a*) Drachmam integram devorent omni bihorio, vel ſi hanc unica vice deglutire non poſſunt, drachmam dimidiam ſingulis horis. Quibus forma mixturae magis arridet, ſequens, vel ſimilis propinari poteſt:

Rec. Aq. totius citri unc. vj.
pulv. rad. rhei drach. ß.

(*a*) „ Caeteroquin vero, si nihil obſtat, „ ego naturae simplicitatem quibusvis artificiis praefero teneoque, ut qui quotidie experiar, vires medicatas vegetabilium praecipue materierum, illa mixtione ac temperatione, quam a natura habent, plerumque celerius valentiusque agere, arte frequentius minui, mutilari, alienari, quam perfici. Teſtis loco unicus ſufficit incomparabilis ille cortex peruvianus. « Gaubius in adverſariis Cap. VI. pag. 95. Conf. eiusdem Method. concinnandi formulas medicam. Regul. general. 33. p. 11.

— Cort. peruvian. unc. ß.
Extract. cort. peruvian. drach. j.
Syrup. acetoſit. citri unc. ß.
M. capiat omni hora cochlearia duo.

Cortici peruviano in febribus putridis, ad alvum liberam servandam, fere semper necessarium eſt, rheum addere: namque, etsi iam prius per vomitoria et laxantia primae vitae repurgatae fuerint, bilis, quae omnium noſtrorum humorum facillime putrescit, in illas continuo fluens, ſi diu ſtagnat, varias turbas excitat, et novum fomitem putridum conſtituit, cuius halitus in sanguinem resorpti, morbum augent. Confert admodum aegris, alvum semel, vel bis nycthemeri spatio deponere: capitis dolores inde levantur, anxietates compescuntur. Si rheo alvus minus respondet, aliquid salis polychreſti addatur, vel cremoris tartari drachma una, semel, aut bis de die detur, nec non enemata emollientia leviterque ſtimulantia iniiciantur.

Cum magna corticis copia requira-

ratur, facile nauseam creat, adeo ut poſt diem unum vel alterum, aegris impossibile videatur, illum amplius deglutire posse. Forma tunc mutari debet: si prius pulveres sumserunt, mixtura, electuarium, aut boli inde formari possunt, determinando, ut eandem sub variis formis corticis quantitatem capiant. Nullo modo maior quantitas huius medicamenti ingeri poteſt, quam decocto saturato pulverem et extractum eiusdem addendo:

Rec. Cort. peruvian. unc. j.
coq. in aquae communis libr. ij.
ad remanentiam
libr. j. colaturae adde
pulv. rad. rhei drach. i.
— Cort. peruvian. drach. vj.
Extract. cort. peruv. drach. iß.
syrup. cort. aurantior. drach. vj.
Misce, sumat omni semihorio
cochleare unum, vel omni
hora duo.

Usus corticis peruviani ad integram sanitatem usque producitur, dosin minuendo ea ratione, qua

morbus recedit, et aegris vires redeunt.

Acida mineralia.

Humorum putredini reſiſtendi cauſa, a cortice peruviano ſecundum locum obtinent acida mineralia, praeſertim vitriolicum. In primo morbi ſtadio, ubi ventriculus et inteſtina ſaburra plena ſunt, acida vegetabilia magis conveniunt, mineralia nauſeas et anxietates augent; in ſecundo vero, quando, primis viis a craſſiori ſaburra liberatis, humorum putredini totis viribus reſiſtendum eſt, potus acidum vitriolicum ad gratam aciditatem continens, optime fertur, palato arridet, ſitim ſedat, calorem mitigat. Sunt, qui ſpiritum ſulphuris ad hunc ſcopum uſurpant: cum nihil aliud ſit, quam acidum vitriolicum tenue, vel dilutum, praeferendum duxi vitrioli ſpiritum ut in officinis proſtat, leviori labore paratum, viliorisque pretii.

Aphthae.

Siccitas oris et faucium, vel aphthae, liberam deglutitionem impediunt,

diunt, sitis simul urget: potus saepiſſime ingerendus eſt, et os lubricum servandum syrupo mororum, rob sambuci et similibus. Aphthae peculiarem medendi methodum non requirunt, sed cum effectus sint acrimoniae putridae bilis et humorum; quaecunque hanc corrigere valent; aphthas tollunt: ariditati tamen, quam ori inducunt, occurritur potu subacido demulcente saepe propinato: Aphthae per oesophagum, ventriculum, inteſtina propagantur, et earum cruſtae, quando separantur, ulcuscula relinquunt, quae, papillis nervosis denudatis, admodum sensibilia sunt.

Ad promovendam aphtharum separationem et dolores mitigandos, totum os illinitur mucilagine seminum cydoniorum, et paratur gargarisma ex decocto raparum sub cineribus assatarum, idemque per siphonem iniicitur. Similis separatio fit in oesophago, ventriculo, ac per totum ductum inteſtinalem: reperiuntur enim

in excrementis cruſtae aphthosae, et tanta quidem copia, ut credere non possimus, has omnes ex faucibus et oesophago lapsas et deglutitas esse. (*a*) Ulcuscula a separatione relicta in partibus valde sensibilibus et multis nervis praeditis, ne minimam irritationem ferunt, sed demulcentia exposcunt: a potu itaque acido abſtinendum eſt, huiusque loco adhibendum decoctum raparum, quod blandam mucilaginem continet, quae ulcuscula obliniendo, omnem irritationem ab ipsis inteſtinorum contentis praecavet, et illorum sanationem promovet.

Debilitatur saepissime adeo aeger, ut vim morbi diutius perferre non possit; pulsus debilis incipit remittere, facies pallescit, oculi in orbita reconduntur, continuum delirium adeſt, tranquillum et voce depressa: in-

---

(*a*) Conf. v. Swieten comm. in aph. Boerh ad §. 981. Tom. III. pag. 199.

indicant haec vires vitales ſuperſtites iam ſuccumbere. Cadaveris inſtar reſupinus iacet, pondere corporis verſus inferiorem lecti partem tractus; membra grave corpus movere non valent; tota compages torpet. Vires vitales tunc excitandae ſunt per ſtimulantia, quae nervos tantum irritant, oleum igni non addunt, nec pabulum morbo praebent: talia ſunt veſicatoria.

Veſicantia

Sola vis irritans veſicantium in his morbis requiritur, qua vires vitales languentes excitantur. Externus hic ſtimulus hic vitam protrahit, et moram praebet neceſſariam ad debellandum morbum per alia remedia. Maiorem efficaciam poſſident, quam ſtimulantia interna, atque minus calefaciunt, etſi pulſus, durante illorum effectu, frequentior obſervetur. Quando nullum effectum praeſtant, parum, vel nihil ſpei ſupereſſe, omnes ſciunt; quod quidem defectui ſenſibilitatis adſcribendum eſt, denotat-

tatque corpus cadaveri simile factum esse. Elapsis duodecim, vel octodecim horis ab applicatione emplaſtri, vesiculae apertae cutim subiectam rubescentem offerunt, quae tertio die pure tegitur. Si nulla suppuratio observatur, malum eſt, non quod, ut vulgo creditur, materia morbi non sufficienter extrahatur, (*a*) sed quia haec ariditas extremam debilitatem arguit. Loco puris aliquando plagae ichorem ſtillant, qui acrimoniam et solutionem humorum denotat.

Suppuratio rite procedens nulla arte promoveri debet: in his enim morbis, praeter quod copiosiori suppuratione nimis debilitatur aeger, me-

---

(*a*) Pus blandum et convenienti copia, bonum est, ichorosum vero et foetens pessimam prognosim facit; quod quidem contrario modo accidere deberet, si depuratio humorum per vesicantia fieret. Verosimilius itaque videtur, bonam et validam suppurationem ideo boni ominis esse, quia effectus est naturae iterum vigentis.

metus quoque eſt, ne gangraena superveniat; quae, ſi acciderit, praeter remedia interna iam relata, decocto corticis peruviani externe applicato ſiſti debet. Accidit nonnunquam, aegros cessante irritatione vesicantium in debilitatem et virium vitalium languorem relabi: hoc applicationem novi emplaſtri ad alias partes requirit. Haec emplaſtra cantharides continent, et quando fortiora requiruntur, ante applicationem pulvere cantharidum asperguntur. Notum eſt, iſta insecta etiam externe cuti admota, mira virtute stranguriam inducere: quamobrem, ubi illis utimur, solemus emulsiones propinare, quas aegroti tempore, quo cuti apposita retinentur, pro potu communi usurpant, sicque a ſtranguria liberi manent.

Haec non impediunt usum reliquorum medicamentorum, quae putredini resiſtunt et vires suſtentant. Cortici peruviano, quantum ferre poſſunt, insiſtendum eſt; urget enim peri-

periculum, et minimus in hoc ſtatu neglectus, maximi erit momenti. Vires vitae languentes suſtinet excitatque elixir vitrioli, ex tinctura aromatica spiritu vitrioli compositum: tincturae vim calefacientem adeo mitigat spiritus acidus, ut absque metu noxae ad drachmam integram, et plus, libris duabus decocti corticis peruviani illud addi possit.

Vinum.

Vinum cardiacorum princeps, simulque optimum antisepticum, viribus deficientibus in febribus putridis admodum conveniens (*a*), indicatur quando pulsus parvus, mollis, facies pallida, delirium tranquillum, summam debilitatem denotant. Natura Medico viam oſtendit: namque dum aegri mentis compotes fiunt, vinum expetunt, atque inſtanter exposcunt, ut ipsis concedatur. Soleo tunc illud potui

(*a*) Conf. Pringle diseases of the Army pag. 314. Edit. Londin. in 4. ann. 1765.

potui ordinario miscere : libris duabus decocti hordei cum spiritu vitrioli , ut supra dictum eſt , addo uncias tres , vel quatuor vini Rhenani , aut Auſtriaci generosi , et optimos semper effectus inde observavi. Idem fere cerevisia meracior praeſtat.

Inter symptomata meliori notae surditatem scriptores numerant ; nihil , caeteris paribus , mali portendere mihi videtur , nec per se prognosin meliorem facere. Plerumque morbo sublato , surdaſtri adhuc remanent , et sensim sensimque , dum vires recuperant,ab hoc symptomate liberantur.

Exanthemata.

Magna lis inter Medicos orta eſt circa exanthemata , quae febres putridas comitari solent . Contendunt nonnulli , ea critica esse ; aliis semper producta sunt regiminis calidi et medicamentorum calefacientium , reliqui tandem illa agnoscunt effectus solutionis putridae sanguinis . Multa circa haec scripta sunt , quibus unusquisque suam opinionem tueri cona-

tur.

tur. Liceat mihi, pace horum virorum, illud proferre, quod animo ab omni praeiudicio libero, attentoque observavi.

Petechiae.

In omnibus febribus continuis, ipsisque putridis, methodum refrigerantem (excepta venae sectione in putridis, nisi summa urgeret neceſſitas) semper a morbi principio secutus sum, aërem in cubiculis non solum temperatum, sed frigidiusculum et continuo renovatum, purumque servavi; nullum medicamentum, nec alimentum, in quibus vim calefacientem, ne minimam quidem, quis suspicari poſſet, in primis horum morborum periodis, adhibui; saepissime tamen, et praesertim in hac febre epidemica, vidi petechias et miliaria circa septimam et octavam diem efflorescere. Quibus sanguis in ipso morbi initio, absque urgente neceſſitate missus fuerat, petechiae citius erumpebant; numero plures, maiores mole, peioresque inveni in illis,

qui-

quibus iam per aliquot dies decumbentibus venae ſectio inſtituta erat. Hoc quidem non ſolum in atmoſphaera temperata accidebat, ſed etiam, licet rarius, in cubiculis, ubi hiemali tempore feneſtrae aliquoties de die aperiebantur, adeo ut adſtantes de frigore conquererentur, aegris ſub levi ſtragulo iacentibus. Hinc facile eſt concludere, haec exanthemata in febribus putridis non ſemper eſſe effectus regiminis calidi et remediorum calefacientium, ſed mera ſigna et producta ſolutionis ſanguinis, quae quidem ab iſtis promovetur. Aër enim in cubiculo occluſus, particulis heterogeneis, ex corporibus aegrorum et aſtantium continuo exhalantibus, refertus, continet multa effluvia animalia in putredinem prona, quae per calorem in fermentum putridum degenerant; ſcimus, ipſas saniſſimorum animalium mactatorum carnes in atmoſphaera calida citiſſime putreſcere. Ingeſta quoque omnia, tam medicamenta, quam alimenta, quae circu-

lationem, adeoque febrem, augent, diathesin putridam promovent.

Quum praeteritis temporibus multi haec exanthemata critica esse crederent, venenumque per ipsa a centro ad peripheriam corporis deferri, totis viribus conabantur hanc imaginariam crisin excitare, multasque per calorem cubiculorum, ſtragulorum, per medicamenta calefacientia, extrudere petechias. Illud, quod optabant, accidebat, summo aegrorum damno; venenum, quod soli perversae ipsorum methodo inhaerebat, se foras propuliſſe clamabant, mortem malignitati morbi adscribentes. Idem praeiudicium diutissime praevaluit circa omnes morbos, in quibus exanthemata cuiuscunque generis observata fuerant, multaque hominum millia ad tumulum duxit. Aequali passu medicina et philosophia naturalis progressae sunt, hoc solum discrimine, quod vanae hypotheses in hac scientia ridicula somnia tantum produxerint, in arte vero noſtra, ubi de vita hominum agitur,

tur, multis mortem dederint. In utraque scientia observatio ratiocinationem praecedere debet; sic ad veritatem perducimur: dum e contra opiniones nimis cito acceptae, tanquam vitra colorata ante oculos posita, impediunt, quo minus res videamus, quales revera sunt, sed illas sibi accommodatas nobis offerunt. Aliorum erroribus edocti, quam facile sit aberrare, quando naturae passus non premimus, omnes hypotheses quoad morborum curationem reiicimus.

Ut ad rem revertar, litis solutio in hoc haerere mihi videtur: petechiae in morbis putridis non sunt criticae, sed symptomaticae; quo plures maioresque prodeunt, eo periculosior observatur morbus, peiusque aeger se habet. In secundo et tertio ſtadio febrium putridarum saepe sponte superveniunt; at regimen calidum, febrem augendo, eas promovet. Non poſſumus itaque affirmare, hasce calidi regiminis semper eſſe effectus; sed signa et producta solutionis putridae

sanguinis sponte, vel arte factae: unde quoque liquet, petechias non aliam requirere curationem, quam illam, quae morbo convenit, cuius sunt symptomata.

Miliaria.

Miliaria nonnunquam crisin per sudores comitari, observavi: magna tunc copia collum, pectus, abdomen obsident; saepius vero profusos sudores symptomaticos spontaneos, vel arte elicitos sequuntur. In anxietatibus, quae mortem praecedunt, miliaria in collo erumpere vidi.

Purpura rubra nunquam critica mihi occurrit.

Radices contraiervae et serpentariae Virginianae a praestantiſſimis in arte viris, (*a*) tanquam optima remedia

(*a*) Huxham et Pringle, qui has radices commendant, venae sectionem initio harum febrium suadent, et in statu morbi vires stimulantibus excitare tentant.

dia antiseptica laudatas, in febribus putridis, solummodo quando vires deficiunt, et quidem rariſſime adhibeo; experientia edoctus, illas corpori ingeſtas minus prodesse virtute antiseptica, qualem experimenta in lagenis vel ollis inſtituta ipsis inesse demonſtrant, quam vi calefaciente nocere. Putredinis humorum arcendae et corrigendae scopum solus absolvit cortex peruvianus, et ubi cardiacis opus eſt, vinum caeteris anteferendum mihi videtur.

Abscessus.

Fiunt aliquando abscessus in variis tam internis, quam externis corporis partibus a decubitu materiae morbosae ad has partes. Si in caput deponitur, cephalalgia, coma, lethargus, epilepsia, apoplexia, variaque creantur mala, iuxta varias encephali partes, quas occupat. (*a*)

(*a*) Sectiones cadaverum hominum his febribus mortuorum suppurationes encephali et meningum offerunt. Pringle diseases of the army pag. 300. seq.

Quando in pulmones decumbit, ipſorum ſuppuratio, vomicae fere incurabiles, gangraena, ſuperveniunt. Omnia viſcera abdominalia tali depoſitioni ſubiecta ſunt, ſed prae reliquis hepar. Decubitus materiae morboſae in partes internas, febrem ſuppuratoriam comitem habet, omniaque ſymptomata, quae earum ſuppurationem ſequi ſolent, hac differentia, quod graviora ſint, et viſcera citius conſumantur, cum loco blandi puris, materia acris inhaereat; unde quoque gangraena et ſphacelus facile oriuntur. Debent in principio curari tanquam ſimplices harum partium ſuppurationes, reſpectu tantum habito ad vires per morbum praegreſſum proſtratas. Cortice peruviano, vino, durante febre ſuppuratoria ſuperſedere debemus.

Scimus, materiam morbi depoſitam eſſe, remiſſione vel abſentia ſymptomatum prioris morbi, ſuperveniente que febre ſuppuratoria cum frigore et horripilatione; ad caput de-

delatam, per symptomata recenſita; ad pulmones, peripneumonia in ſuppurationem vel gangraenam mox abitura. Hepar ipſam occupare, denotat tumor hypochondrii dextri cum dolore, ſenſu ponderis, reſpiratione laborioſa, anxietatibus, decubitu difficili in latus ſiniſtrum, conſtipatione alvi, ſingultu, &c. Omnis ſpes nondum ſublata eſt, ſi ſuperficie externa hepatis cum tumore integumentorum abſceſſus formatur; apertus enim, antequam parenchyma alte eroſum ſit, bona ſuppuratione conſolidari poterit. At quando profundius haeret, vel verſus partem internam concavam, totum hepar conſumitur, febre lenta corpus depaſcente; ruptove abſceſſu, pus in cavum abdominis effuſum, viſcera corrodendo, mortem infert, aut per ductum hepaticum in inteſtinum duodenum fluens, dyſenteriam inſanabilem inducit: ſed plerumque gangraena hepatis tot malis cito finem imponit.

Tumores critici quoque in variis

corporis partibus externis accidunt, maxime parotides. Omnem operam dare debemus, ut cito maturentur, et aperiantur ſtatim ac fluctuatio, quamquam profunda, percipitur; nec exspectare, donec pus sponte erumpat: observatum enim eſt, subsidentes parotidum tumores, gravissima symptomata, ipsamque subitam mortem sequi.

Cataplasmata emollientia, admixtis cepis sub cineribus assatis, vel emplaſtra gummosa ad hunc finem conducunt. (*a*) Tumore lanceola aperto, si suppuratio rite procedit, res aegroti in vado eſt. Idem de tumoribus criticis in aliis partibus externis dictum sit; in quibus omnibus facto pure, ad corticem peruvianum recurrendum eſt, cuius usus bonam suppu-

(*a*) Emplastra cataplasmatibus a nonnullis praeferuntur, quia haec refrigerata tumorem repellere possent. Vid. Pringle diseases of the army part. III. chap. 7. not. ad pag. 318.

purationem promovet , et regreſſum materiae morboſae impedit, dum ſimul vires vitales ſuſtinet.

Omnes qui a febribus putridis convaleſcunt , diu debiles remanent vireſque lentiſſime recuperant, unde ſemper metus eſt , antequam in integram ſanitatem reſtituti ſint , ne in morbum relabantur, quo plus, ob virium defectum , periclitabuntur. Soleo corticis peruviani uſum , minuendo doſin, eo uſque producere, donec nullus recidivae metus amplius ſit; omnis error quoque vitandus eſt in rebus non naturalibus. Vires refocillantur cibis eupeuptis ex regno vegetabili, ſaepius, et parva quantitate, ſumptis. Carnes diu averſantur, et ipſa natura tempus indicat, quo convenit illas concedere: incipiendum eſt a iuſculis tenuibus , et ſenſim ad ipſas carnes iuniorum animalium deveniendum. Vinum ad reſtaurandas vires adeo confert , ut illi ipſi , qui in ſtatu ſanitatis non erant aſſueti vino , illud in deliciis nunc habe-

ant;

ant ; aqua temperatum frequentius , et cyathus unus vel alter vini generoſi ſinceri de die eis concedi debet.

In omnibus morbis putridis, quibus diu decumbunt aegri , aſſidue obſervandi ſunt lumbi : a iugi enim decubitu fiunt in his partibus ulcera , quae in gangraenam abire ſolent. Quando rubent , albumen ovi cum ſpiritu vini conquaſſatum imponatur ; ſi ulcerantur , emplaſtrum album coctum ; gangraena inde orta externam quoque applicationem corticis peruviani requirit.

Nihil magis neceſſarium eſt, quam induſiorum et omnium linteorum mundities , ideoque ſaepe mutari debent : ſudor , urina , excrementa alvi illa cito inquinant , intolerabilemqne foetorem ſpargunt. Mephitis haec inſpirata , vel per cutis poros reſorpta , humorum putredinem auget. Induſium quotidie, vel ſaltem omni biduo mutetur , et reliqua , iuxta neceſſitatem , plus minusve frequenter , hac cautela , quod omnia lintea , quae

cor-

corpus ambiunt, siccissima sint, ne naturalis perspiratio, vel sudor retropellantur.

Cubiculorum aër renovatur apertis portis aut feneſtris, et corrigitur vaporibus aceti super lateres candentes affusi. Aër hiemali tempore purior et magis renovatus eſt in cubiculis calefactis igne accenso in caminis, vel hypocauſtis, quorum oſtium, per quod lignum imponitur, in cubiculo hiat: vernali et aeſtivo refrigeratur ac corrigitur appositis circa lectum et parietes arborum ramis. (*a*)

In

(*a*) Vegetabilia citissime crescunt in aëre putrido occluso, qui animalia subito occidit, et eodem gradu quo augmentum illa sumunt, salubrior fit, et tandem minime noxius. Talis aër vitro contentus corrigebatur, et salubris evasit imposito ramulo menthae. Priestley obs. on air Sect. IV.: " But is to be ob„ served that the good it produces is not » owing to any aromatic quality; for ve» getables of an offensive smell, and even » such as were almost inodorous, were

so-

In omnibus morbis aëris puritas ſumme necessasia eſt, et in febribus putridis nihil, sine hac conditione, a medicamentis ſperari poteſt, praesertim si plures in eodem cubiculo iacent. Ideo in nosocomiis, ubi medicamenta accurate praebentur, et diaeta conveniens magis observatur, multo plures tamen moriuntur, quam apud ipsam pauperrimam plebem in privatis aedibus decumbentem. Non solum purus, sed frigidiusculus aër in febribus putridis ad sanationem multum confert; qua causa quoque camini hypocauſtis praeferendi sunt, et ex his ea, quorum supra mentio facta eſt. In nosocomiis etsi feneſtrae

---

» found most powerful in resisting the pu-» trescent qualitty of the air. « Leake practical observations on the child-bed fever. Sect. III. pag. 154. Adeoque vegetabilia tam inodora, quam odorata facultatem possident, dum viridia sunt, absorbendi putrida effluvia in aëre haerentia, et haec ipsorum incremento inserviunt. Pulcherrima circa haec experimenta instituit Priestley.

ſtrae et portae de die saepius aperiantur, noctu tamen clausae remanent, et aegri impurum aërem per duodecim horas, et ultra, inspirant. In nosocomio cuius curam habebam, magna foramina formae infundibili inversi, in parte superiore conclavium facta, die nocteque aperta esse iubebam. Quo minori numero in eodem cubiculo iacent, et aër purior minusque calidus servatur, eo, caeteris paribus, facilius sanantur aegri, et vice versa. Neque aegrotis frigus moleſtum sit, bene induti et tecti die nocteque maneant, non pulmeis culcitris tamen, ut in plurimis Germaniae locis adhuc mos eſt: hae culcitrae nimis calefaciunt, sudores exprimunt, exanthemata, et prae reliquis miliaria, provocant.

Antequam his observationibus de febre epidemica anni 1768. et de febribus putridis in genere, finem imponam, quaedam adhuc notanda sunt de haemorrhagia narium, fluxu menſtruorum, et contagio, in iisdem morbis.

Hae-

Haemorrhagia narium.

Haemorrhagia narium, quae in febribus inflammatoriis et synochis non putridis saepissime critica eſt, quaeque tunc abundans requiritur, semper in morbis de quibus agimus, quamquam moderata sit, in secundo et tertio ſtadio mali ominis haberi debet. Signum enim eſt, vel tantae solutionis sanguinis, ut per vasa minima transudare valeat, quae tenuioribus humoribus alias tantum permeabilia sunt; aut tantae acrimoniae, ut vasorum extremitates corrodat; vel utriusque simul. Si turundis et medicamentis ſtypticis, naribus intrusis, haemorrhagia siſtitur, aliam viam sanguis quaerit, per pulmones, renes, uterum, haemorrhoides, imo quandoque per plures partes erumpit, quod inſtantis mortis indicium eſt. Tales haemorrhagiae quoque accidunt absque praegresso sanguinis fluxu per nares.

Menstrua.

Immodicus menſtruorum fluxus sub iisdem circumſtantiis eidem causae adscribi

scribi debet : natura in ſtatu morbi nimis debilis, evacuationibus sanguinis nullo modo eget. In principio morbi, quando tempore periodi suae catamenia superveniunt, etsi sanationi nihil conferant, non adeo reformidanda sunt, sed solummodo debilitando nocent. Urinae cruentae omnium pessimam prognosin faciunt. Adversus has haemorrhagias sola spes haeret in acido vitriolico et cortice peruviano.

Contagium.

Hic morbus, in ultima sua periodo humores ad summum putredinis gradum perducens, nonnunquam vim acquirit, idem malum aliis inurendi hominibus, qui aegrotis adſtant, vel intimiorem cum illis communicationem habent, eoque facilius, quo per conſtitutionem epidemicam horum corpora illi suscipiendo magis disposita sunt. Contagium in febribus putridis imprimis observatur, quando aegri in aëre occluso et calido detinentur, vel plures in eodem loco de-

decumbunt. Nosocomia aegrotis nimis plena similis contagii horrenda exempla praebent.

Febres nosocomiorum et carcerum.

Febres nosocomiorum et carcerum, a febribus putridis vulgaribus, symptomatum gravitate, et intensiore putredinis gradu tantum differunt. (*a*) Clarissimus Pringle refert (*b*), Londini anno 1750. iudices, ad quos adducebantur homines qui in carcere hu-

---

(*a*) Pringle diseases of the army part. III. chap. VII. pag. 287. seq.

(*b*) Pringle diseases of the army part. III. chap. VII. pag. 330. In Ephemeridibus medicis (Gazette salutaire) anni 1776. N. XXIV. legitur: « Il s'est repandu a Dublin une fiévre „ maligne qui a été occasionée par un criminel „ affecté de la fiévre des prisons, qu'on a mené aux interrogatoires sans avoir é é purifié. Plusieuts personnes du tribunal, differens avocats et autres personnes qui ont „ assisté a cette séance, ont été enlevés „ par cette maladie. " Hoc quoque refertur in the Gentlemen Magazine for 1776. April.

humido et squalido diu detenti fuerant, paulo poſt febribus putridis pessimi generis correptos fuisse, eorumque [sex aderant] quatuor, et ultra quadraginta adſtantes similiter affectos, mortuos esse. In nave, qua tempore belli milites aegroti ex Germania in Angliam transferebantur, et quae ventis adversis in alto mari diu remorabatur, aegri continuo sub tectis iacere coacti, et nautae, qui illam sani conscenderant, fere omnes, febre putrida laborarunt. (*a*)

Febres putridae epidemicae, simulque contagionis quodam gradu praeditae, improprie atque inconsulte peſtilentiales nuncupantur, cum haec denominatio plures in errorem ducere posset, et tantum adhuc a vera peſte diſtent, ut infra demonſtrabitur, quantum ephemera ab illis (*b*).

(*a*) Pringle ibid. part. III. chap. VIII.
(*b*) Vid. infra part. II. cap. II.

Febres putridae in omnibus regionibus, omnique tempeſtate sporadice occurrunt; ipsae synochi simplices, si diu protrahantur, in putridas abeunt. Eadem medendi methodus omnibus febribus huius generis in secunda et tertia morbi periodo convenit, in quibus omnes earum species similes evadunt, etsi differant saepe variis symptomatibus, cum quibus singula individua aggrediuntur, et vario modo quo in primo ſtadio apparent, unde diversa nomina accipiunt.

Paucis nunc faciem, sub qua noſter morbus ſtationarius annis 1769. et 1770. prodiit, delineabo.

CA-

CAPUT II.

Febris putrida biliosa anni 1769.

Per aeſtatem et autumnum, ad menſem Novembrem usque, morbus epidemicus, superiore capite descriptus, omnino siluit; fine anni 1768. idem iterum apparuit, et graſſatus eſt per totam hiemem, initiumque veris, donec exeunte Maio denuo evaneſceret. Nullum morbum intercurrentem sibi coniunctum habebat, per totum decursum a primo insultu meram febrem putridam biliosam referens.

Hiems hoc anno mitior fuit: a medio Januario ad Februarium frigus perſtabat inter 14 et 21 gradus; Februarii initio circa 10 grad. et exeunte eodem mense ultra quinque non perveniebat. Martius et Aprilis, pro climate, calidi fuerunt, adeo ut mercurius ad punctum congelationis raro descenderet.

 Ab-

Abſentiam et regreſsum morborum epidemicorum ſtationariorum sic explicat Sydenhamus : (*a*) „ Notandum eſt itaque, quod licet aëris „ qualitates manifeſtae non eam vim „ cuilibet conſtitutioni imprimant. ut „ sint causae epidemicorum, qui ad „ illam proprie referuntur, productivae (cum a recondita saepe et in„ explicabili eiusdem conditione fluant „ iſti) pro tempore tamen in eos „ habent poteſtatem, et proinde in„ tromittuntur epidemici, vel etiam „ excluduntur, prout illis favent qua„ litates manifeſtae, vel adverſan„ tur, universalis enim conſtitutio „ eadem prorsus manet, sive eam „ promoverint illae, sive quadante„ nus retardaverint. “

Primum stadium.

Rariſsime hoc anno insultum morbi comitabantur symptomata inflammatoria, quae praeterlapso in omnibus

---

(*a*) Sect. IV. cap. IV.

bus fere aegris obſervata fuerant. Manifeſtam febrem praecedebat per aliquot dies aegritudo cum appetitus defectu, amaritie oris, torpore, laſſitudine, dolore et gravitate capitis.

Secundum ſtadium.

Haec excipiebat frigus cum horripilatione, dein calor ſiccus: omnes de capitis et lumborum dolore conquerebantur; partes ſub ſcrobiculo cordis iacentes adeo ſenſibiles ipſis erant, ut medico non ſinerent, illas manu leviter premere. Sitis ingens, lingua humida, alba, ſordida, nauſeae et vomitus, ventriculum ſaburra obrutum eſſe, denotabant: urinae citrinae, flammeae, crudae conſtipatio alvi; oculi lachrymantes, ſubflavi, obſervabantur. Pulſus frequens et mollis erat. Quibus ſponte, vel per artem vomitus accidêbat, cum levamine evomebant magnam copiam bilis flavae, aut viridescentis. Haec ſymptomata per per totam hanc periodum ad ſeptimum vel octavum diem

augebantur , matutino tempore parumper remittentia , versus vesperam acutiora.

Tertium stadium.

Circa octavum nycthemerum pulsus parvus et magis frequens evadebat, et reliqua symptomata cum maiori debilitate ingravescebant ; pulsum explorando , cutis arida digitis sensum ardoris pungentis imprimebat, qui per aliquot minuta perdurabat; hoc in omnibus febribus putridis observari solet . Sequebantur agrypnia, aurium susurrus , auditus difficilis , ariditas oris et faucium , aphthae, iactatio continua , delirium : petechiae pectus et brachia obsidebant , et in non paucis miliaria quoque reperiebantur . In tertio hoc, aeque ac in secundo morbi stadio omnia occurrebant , quae ad secundam et tertiam periodum febris epidemicae superioris anni adnotata sunt.

Curatio.

Idem morbus eundem curandi rationem requirebat. Praeterlapsi anni exem-

exemplis edocti, a venae ſectione omnes fere abſtinuerunt, eo facilius quidem, quod nullam nunc inflammationis suspicionem inferret, qua minus cauti antea decepti fuerant. Evacuantia eccoprotica, sed prae reliquis vomitoria, mixturae salinae, acida vegetabilia, iuverunt naturam plures morbo liberare, antequam ad secundum ſtadium perveniret, levi diarhoea oborta, et urinis hypoſtaticis factis.

Illi qui in primo ſtadio hoc modo curati fuerant, et ad secundum tertiumque deveniebant, minus periculose decubuerunt, atque facilius in sanitatem reſtituti sunt. Cortex peruvianus, acida mineralia, vesicatoria, reliquaque supra laudata, hic quoque locum obtinuerunt, et tantos effectus praeſtiterunt, ut noſtrorum aegrorum pauci desiderarentur. Venae sectiones, quas incautiores nonnulli suaserant, decursum primi et secundi stadii multo breviorem faciebant, tertii vero symptomata adeo gravia,

ut nullus fere evaserit, cui sanguis missus fuerat. Qui initio morbi evacuationes per alvum et vomitum neglexerant, in ſtatu dysenteria putrida plurimum peribant.

Similem morbum in insula Barbados anno 1770. epidemice grassatum esse, legimus in *the Medical observations & inquiries* Tom. IV. Cap. XXIV. Hunc comitabantur sudores profusi, valde debilitantes. Non solum phlebotomiam non ferebat, sed etiam a lenissimis purgantibus in vitae periculum aegri coniiciebantur. Solis emeticis, repetitis vicibus datis, primae viae repurgari debebant, et cortici peruviano morbus felicissime cedebat.

CAPUT III.

Febris putrida nervoſa anni 1770.

Tertia vice, et ſub nova facie, idem recurrit morbus verſus ſolſtitium hiemale anni 1769. Omnium epidemicorum more, primo anno 1767. et 1768. furens homines invaſerat, ſuperiore paulo mitioribus ſymptomatibus illos aggrediebatur; hoc vero, ipſius inſultus mitior et lentior eſt, nec tantas turbas ab initio excitat: mulieres, infantes, et inter viros, debiliores, corripit. Conſtitutio epidemica, cauſa morbi remota, debilior facta, maius temporis ſpatium requirit, ad principium ſepticum humoribus inurendum, et eorum efferveſcentiam putridam perficiendam. Porro, ſcribit Sydenhamus: (*a*) „ Obſer-

(*a*) Sect. VI. Cap. I.

„ ſervandum eſt , quod epidemici om-
„ nes , ubi primum e naturae ſinu
„ emergunt , exiliuntque , quantum
„ ex eorum phaenomenis licet conii-
„ cere , principio magis ſpirituoſo ,
„ ac ſubtili , videntur inhaereſcere ,
„ quam ubi iam magis adoleverint ;
„ quoque magis ad occaſum vergunt,
„ eo magis indies craſſi atque humo-
„ rales fiunt : etenim quales demum
„ fuerint inimicae iſtae particulae ,
„ quas aëri intime permixtas conſti-
„ tutionem epidemicam formare opina-
„ bimur , omnino par eſt , ut eaſ-
„ dem maiori agendi potentia , per
„ ea tempora pollere exiſtimemus, qui-
„ bus primum eruperint , quam poſt-
„ quam earum vires fuerint refractae.“

Tempeſtas ſimilis fuit illi ſupe-rioris anni.

Primum ſtadium.

Decurſus morbi ſequens erat : afficiebantur capitis dolore ab occi-pite ad orbitas , anxietatibus , nau-ſeis , appetitus defectu , laſſitudine , torpore, vertiginibus , debilitate cum

vago

vago interdum calore febrili, extremitatibus frigidis; lingua humida erat, et muco albo obducta; moroſi et meticuloſi fiebant. Haec per quatuos vel quinque dies, imo per hebdomadem perdurabant, antequam notabilis febris obſervaretur: toto hoc intervallo ambulant, negotia obibant, ſed aliquando interdiu iacere cogebantur; frigus et calor ſibi invicem ſuccedebant; faciei color mox pallidus, mox floridus apparebat; noctes inquietas tranſigebant; ſomnus inſomniis turbabatur; urinas crudas, aquoſas mingebant, etſi nulla fere ſitis adeſſet.

Secundum ſtadium.

Poſt haec, corripiebantur frigore et horripilationibus, quas excipiebatur, cum pulſu celeri, parvo, calor continuus non adeo fortis. Hic ſtatus comites habebat ingentem cephalalgiam cum tinnitu aurium, anxietates, iactationem corporis, ariditatem cutis, ſummam debilitatem, ad animi fere deliquium, ſi caput attolebant. Oculi lachrymantes lucem vix ferre poterant; capitis do-

lor

lor a minimo ſtrepitu, et ipso lumine, augebatur; in terrorem ex minima causa coniiciebantur; et quod huic morbo peculiare, a principio manus adeo tremebant, ut illis aliquid tenere vix possent. Dormientes loquebantur; subito evigilati delirabant; lingua tremebat, quando illam educere volebant; voce tremula, depressa, verba proferebant difficile intelligenda non sitiebant, sed quasi ſtupidi iacebant; suspiria ipsis invitis exprimebantur, et, si in causam inquirebatur, eam se ignorare dicebant; respiratio laboriosa et inaequalis erat.

Tertium stadium.

Septima vel octava die, nona et decima apud illos, in quibus serius febris manifeſta signa apparuerant, in aliquibus in collo, pectore, et nonnunquam extremitatibus prodibant maculae sub epidermide haerentes, ad tactum non percipiendae, figurae sphaericae, coloris rubri in purpureum plus minusve vergentis, variae magnitudinis, sed plerumque di-

dimidiam lineam diametro aequantes, morbillis similiores, quam petechiis (*a*).

Illis intermixtae reperiebantur petechiae, sed frequentius hae solae erumpebant. Utraque efflorescentia nullum levamen, nullam symptomatum remissionem afferebat; sed permanebant usque ad finem morbi, sive in sanitatem, aut in mortem abiret. Paulo ante mortem color purpureus in fuscum mutabatur.

Lenis sudor per totum corpus erumpens, perfectam crisin absolvebat; hanc aliquando miliaria praecedere et comitari vidimus; et talis sudor solus, sine miliaribus, crisin quo-

(a) » We frequently meet with an ef-
» florescence also like the measles, in ma-
» lignant fevers, but of a more dull and
» lurid hue, in which the skin, espe-
» cialy on the breast, appears as it were
» marbled, or variegated: this in general
» is an ill symptom, and J have often se-
» en it attended with very fatal consequen-
» ces. « Huxham Essay on fevers Chapt.
VIII. pag. 97.

quoque perficiebat. Profuſus nihil boni portendebat, et ab illo mox peius se habebat aeger.

Procedente morbo, pulsus debilior, celerrimus, et quasi tremulus fiebat; surditas absoluta, deliria continua, subsultus tendinum accedebant, cum omnium reliquorum symptomatum exacerbatione: lingua cruſta flava, nigrave, tegebatur; totum os et fauces muco tenaci obducebantur, aphthae sequebantur. Urinae mox crudae, mox citrinae cum enaeoremate, quandoque iumentosae erant; alvus plerumque segnis. Urinae et foecum involuntaria excretio, spasmi musculorum faciei et extremitatum, convulsiones, inſtantem mortem nunciabant.

Differunt itaque variae febrium putridarum species tantum modo, quo aggrediuntur, iuxta humores, in quos prius causae agunt, vim causarum praedisponentium et occasionalium, et conſtitutiones peculiares corporum, quae afficiunt, donec ad eum putredinis

dinis gradum in tertio ſtadio perveniant, qui omnibus in illo communis eſt. Methodus ergo curativa, quam in primis periodis ad symptomata, diversis speciebus et individuis propria, inflectere debemus, in ultima omnibus eadem convenit.

Curatio.

Venae sectionem absolute non ferebat haec febris; vires vitales iam debiles proſternendo, in summum vitae periculum aegros coniiciebat. Purgantia periculo non omnino carebant, exceptis leniſſimis eccoproticis et rhabarbarinis. Vomitus, per radicis ipecacuanhae pulverem excitatus, magnum levamen afferebat: curam itaque, quando licebat, ab illo incipiebam, et alvum aliquoties movebam radice rhei cum sale polychreſto, vel cremore tartari; remedia haec laxantia, interposito die uno, repetere solebam, donec ventriculum et inteſtina a craſſiori saburra liberassem; quae quidem evacuationes absque virium detrimento sic fiebant, dum

alia

alia quaecunque fortiora purgantia valde nocuiſſent.

Potus ſubacidi ad libitum propinabantur. Epiſpaſtica verſus noctem plantis pedum alligata cephalalgiam mitigabant. Moschus in hac febre citius dari debet, quam in aliis febribus putridis, propter inordinatos nervorum motus, quos miro modo compeſcit. Quamquam virtutem antiſepticam illum poſſidere, aſſerere non poſſim, ſaltem affirmare non dubito, hoc medicamentum putredinem minime promovere.

Natura, his adiuta auxiliis, vel ſponte ſua ſolutionem criticam per ſudores et urinas, in primo aut ſecundo ſtadio morbi quandoque perficiebat. In tertio ad omnia auxilia confugere debuimus ad tertiam periodum febris epidemicae anni 1768. ſupra relata, et iſta aeque profuerunt: citius tamen, propter debilitatem multo maiorem et imminens inde periculum, corticem peruvianum dedimus, nec ſemper exſpectavi,

do-

donec coctionem in urinis observarem, sed quando periculum in mora videbam, ſtatim ac primae viae evacuatae erant, illum exhibere incipiebam, addita parva rhei quantitate, ut alvus libera maneret. Sicque omnes fere aegros meos sanitati reſtitui. Vesicantia hoc anno quoque temporius et frequentius, quam antecedentibus, in usum vocari debuerunt, ad vires vitales magis languentes excitandas. Quando vires deficere evidenter observabamus, vinum liberaliori manu dedimus aegris, quos optimum hoc et simpliciſſimum cardiacum ad vitam revocabat, et iuvabat morbum superare, cui alias succumbere debuissent.

Quaecumque ad tertium ſtadium febris anni 1768. quoad symptomata, decursum, et remedia, supra (*a*) retuli, hic quoque locum habent.

(a) Part. I. Cap. I.

Sic omnino evanuit conſtitutio epidemica, quae tres annos regnaverat non ſolum Moscuae, ſed etiam in provinciis circumiacentibus. Magis tamen graſſatus eſt morbus noſter ſtationarius in hac urbe, in qua tot homines hiemali tempore conveniunt. A menſe Maio saniſſimus fuit annus 1770. adeo, ut rariſſime febris putrida sporadica occurreret.

PARS

PARS II.

PESTIS.

CAPUT I.

Historia Pestis Moscuensis anni 1771.

Pestis Moscuam initio saeculi XVII. ultima vice depraedata fuerat, et ab eodem tempore nunquam ibidem apparuerat. In bello Turcico anni 1736. Otschakoviae inter milites praesidiarios Ruſſos graſſabatur, et inde in Ucraniam delata fuerat, sed non altius tunc penetraverat (*a*). Bel-

(a) Historiam huius pestis scripsit, in Academia Petropolitana Medicinae tunc Pro-

 fes-

Bellum inter Ruſſos et Turcas anno 1769. incoepit in Moldavia. Initio ſequentis anni audivimus peſtem a Turcis in Valachiam et Moldaviam illatam, has provincias et ambos exercitus vaſtare; multosque Ruſſos in urbe Yaſſi morbo ſuccubuiſſe, quem in principio febris malignae nomine aliqui inſigniebant, at doctiores Medici peſtem eſſe agnoverant. Sequentem illius deſcriptionem hauſi ex literis Lib. Baronis de Aſch exercituum Protomedici ad fratrem ſuum, medicinam cum ſumma laude tunc Moſcuae facientem, Germanice ſcriptis, quas clariſſimus hic vir mecum communicavit. „Vario „modo homines afficit; aliqui len-„te aegrotant, de capitis dolore per „aliquot dies conquerentes, tanquam „a vaporibus accenſorum carbonum orto

---

feſſor Schreiber, ſub titulo: Obſervat. et cogitata de peſtilentia, quae 1738. et 39. in Ucrania graſſata eſt.

„ orto, mox remittente, mox iterum graviore; nec non aliquando intermittit, et redit. Per intervalla dolores vagos in pectore, et praecipue in collo sentiunt, sensim debiles et morosi fiunt, quasi temulenti, soporosi. Peculiarem guſtum, et deinde amaritiem in ore percipiunt; mingendoque ardorem in urethra. "
„ (*symptoma initio febrium frequens.*)
„ Haec excipiunt frigus et calor, omniaque peſtis confirmatae symptomata. Sudor criticus morbum aliquando solvit ante exanthematum et tumorum eruptionem. Qui celerius vehementiusque a contagio afficiuntur, poſt cibum nimis lautum, iracundiam, vehementiorem corporis motum &c. subito corripiuntur cephalalgia, nausea, vomitu, cum oculis inflammatis, lachrymantibus; simul sentiunt dolores in partibus ubi bubones et carbunculi erupturi sunt. Non ingens calor febrilis observatur; sed pulsus nunc plenus, durus, nunc parvus, mollis, et vix percipiendus eſt, saepe inter-

„ mittens, at praesertim debilis. Haec „ comitantur debilitas, lingua alba, cutis arida, urinae citrinae, „ aut turbidae sine sedimento, et in „ pluribus diarrhoea difficile ſistenda: tandem deliria, bubones, carbunculi, petechiae.“

Aeſtate subsequente morbus Podoliam invasit, ubi magnam ſtragem edidit; et inde Kioviam delatus eſt: in hac urbe quatuor hominum millia e medio suſtulit. Statim omne commercium inter Kioviam et Moscuensem provinciam interdicitur, vigiliae in viis publicis ponuntur, imperaturque mora aliquot septimanarum, antequam Kiovienses suos limites transire poſſint.

Fine Novembris 1770. anatomiae Proſector in nosocomio militari Moscuensi febre putrida petechiali correptus, tertia die moritur. Eiusdem nosocomii aegrorum cuſtodes in duobus conclavibus, a reliquis remotis, habitabant cum suis familiis. In priori cubiculo unus poſt alterum

rum aegrotat , omnesque cum uxoribus , simul undecim numero, decumbunt morbo putrido acuto cum petechiis ; in aliquibus bubones et carbunculi observantur; inter tertiam et quintam diem morbi plerumqne moriuntur . Reliquos in altero cubiculo morantes idem morbus, cum similibus symptomatibus, aggreditur.

Die 23. Decembris in curiam medicam convocamur ; nosocomii militaris primarius Medicus hoc nobis refert ; tres alii Medici relati veritatem teſtantur , aſſeruntque , quindecim , tam custodes , quam illorum uxores et liberos , hoc morbo a fine Novembris mortuos eſſe, quinque adhuc aegrotare, integrum praeterea nosocomium eo liberum esse . Inter undecim Medicos nemo noſtrum hunc morbum peſtem nominare dubitavit , praeter civitatis Physicum , qui a Dn. Schafonsky nosocomii Medico, ad hos aegros accersitus meram febrem putridam eſſe dixerat, nuncque verbis et scriptis asseverabat.

Iacet hoc nosocomium non procul ab urbe, extra suburbium Germanorum, a quo parvo flumine Yausen separatur. Suasimus ut illud ſtatim clauderetur, et militibus circumdaretur, qui omnem communicationem cum illo impedirent; omnesque cuſtodes, eorum uxores et liberi in peculiari loco detinerentur, aegris a sanis separatis; horumque ac mortuorum veſtes et omnis supellex cremarentur. Frigus hoc anno tardius inceperat, tempeſtasque humida et pluviosa fuit ad ultimos usque Decembris dies; subito tunc summum gelu obtinuit, quod per reliquam hiemem duravit.

Praeter communem hanc noſtram sententiam, meam speciatim petebat provinciae Gubernator, exercituumque Dux, Comes Soltikoff, et inquirebat, quid agendum eſſe sentirem. In tanto publicae rei discrimine opinionem meam clare et ingenue notam facere non haesitavi. Scriptis itaque Gubernatori datis inſiſtebam maxime neceſſitati, adhibendi cautelas circa nosocomium, ubi peſtem inter cuſto-

ſtodes eſſe, iterum affirmabam; hisque adhibitis, ſtrenue inquirendi, an nullibi in urbe et viciniis adhuc lateret contagium, quod ubicumque detegeretur, ſimli modo ſiſti deberet. Quamobrem necessarium eſſe referebam, Chirurgis aeque ac Medicis imperare, ut in curia medica notum facerent, ſi quid peculiare, vel dubium in privatis suis aegrotis observarent; at ſi plures homines in eadem domo aegrotarent, politiae Adminiſtratores Medicos advocare debere. Nullum salutis publicae periculum supereſſe proferebam, dummodo haec omnia ſtricte observarentur, et tantum in nosocomio militari haereret hic morbus, quem solo contagio propagari aſſerebam. Rem difficillimam fore fatebar, ſi alia civitatis loca infecta eſſent; sed in hoc casu spem adhuc supereſſe, has scintillas, vigente tempeſtate gelida, suffocari poſſe, dummodo ſine mora malo occurreretur.

Hoc publicum celare volebamus, sed rumor peſtis, quae ante aliquot menses Kioviam depraedata fuerat, animos

mos sic diſpoſuerat, ut cautelae, quas circa noſocomium militare adhibuimus, maximum terrorem omnibus iniicerent. Animos erigere fruſtra conabamur.

Cum vero, elapsis aliquot diebus, audirent in noſocomio omnes ab hoc morbo liberos permanere, et septem tantum cuſtodes illo laborare, in aliud extremum subito devenerunt, ſummamque securitatem amplexi, tam primores, Gubernatore paucisque aliis exceptis, quam nobiles, plurimi mercatores et plebs, omnes cautelas reiecerunt.

Haec securitas, cui multum conferebat opinio civitatis Physici, praevaluit ad mensem Martium usque: non amplius convocabamur. Cautelae omnes, nobis invitis, in urbe neglectae manebant; in noſocomio tantum, iuſſu Auguſtiſſimae Imperatricis in Ruſſia glorioſe regnantis, obſervabantur; sicque ibidem exſtincta eſt peſtis, qua viginti quatuor cuſtodes decubuerant; horum duo convaluerunt. Praeterlapsis sex hebdomadi-

madibus a die, quo ultimus illorum mortuus erat, omnis eorum ſupellex, veſtes, lectus, &c. cum aedibus ligneis, in quibus iacuerant, combuſta ſunt, et noſocomium exeunte Februario apertum eſt.

Vulgus, quod res tantum per effectus iudicare ſolet, omnem morbum, qui plurima hominum millia ſuſtulit, peſtem nuncupat, et nunquam credit hanc adeſſe, niſi multis luctibus confirmata fuerit. Praeterea opinio apud multos, neſcio qua ratione, invaluit, peſtem, tanquam malorum catervam, regiones invadere, multos ſubito et turmatim trucidare. In omnibus fere peſtis hiſtoriis reperimus, hoc praeiudicium praecipuam fuiſſe cauſam, quae impediverit, quo minus eius principiis obſtaretur. Principium peſtis comparari poteſt ſcintillae facile exſtinguendae, ſed quae maximum incendium excitabit, nullis amplius viribus ſuffocandum, ſi ſibi relinquatur.

Opinio itaque ſecuritati favens, ut

ut fere semper accidere solet, apud multos praevalebat. Nobis sola remanebat conscientia, nos officiis Medicorum et optimorum civium functos esse. Utinam res in hoc ſtatu remansissent, nec eventus aſſerti noſtri veritatem confirmasset! tam multorum ſtragem, horrendamque calamitatem publicam non vidissemus.

Die 11. Martii anni 1771. convocamur iterum in curiam medicam. Ampliſſima domus, in centro urbis prope flumen sita, inserviebat conficiendis ibi pannis pro militibus; tria hominum millia utriusque sexus huic labori operabantur, quorum tertia pars circiter, pauperrima, in inferiori parte domus habitabat; reliqui privatas aedes, in variis urbis regionibus iacentes, vespere petebant. Expertiſſimus Yagelsky, nosocomii militaris iunior Medicus, quem Gubernator eodem mane in hanc domum miserat, nobis refert, se inveniſſe aliquot aegros (octo ni fallor) eodem morbo laborantes, quem apud cuſtodes nosocomii militaris ante tres

men-

menſes viderat, cum petechiis, vibicibus, carbunculis et bubonibus; ſeptemque cadavera, in quibus eadem ſigna reperiebantur. Ipſi interroganti quomodo, et quando morbus in hac domo inceperit, operarii faſſi ſunt, initio Ianuarii mulierem, quae tumorem in gena ferebat, ad conſanguineum ibi morantem confugiſſe, et apud ipsum mortuam eſſe; ab illoque tempore quotidie eorum aliquem in morbum incidiſſe; numerando ſeptem illa cadavera, quae adhuc inſepulta iacebant, centum et ſeptemdecim ad hanc diem mortuos eſſe. Hanc relationem Dni. Yagelsky confirmant quatuor alii Medici, qui eadem die miſſi ſunt ad inſpiciendum aegros, et cadavera.

Declaramus iterum ſcriptis ad Gubernatorem, et Senatum, hunc morbum peſtem eſſe, et petimus, ut omnes, qui in hac domo habitant, extra urbem deferantur; ſani ab aegris ſeparentur; mortuorum et aegrotantium ſupellex cremetur; dili-

gen-

gentiusque inquiratur, an nullibi adhuc in urbe seminium peſtis lateat. Terror omnes invadit; vident, quid negligentia in obſervandis cautelis produxerit.

Tredecim tunc conveneramus Medici (a) inter quos duo, qui ante tres menses, cum reliquis, peſtis nomen morbo cuſtodum tribuerant, hunc peſtem non esse, sed febrem putridam, in peculiaribus relationibus ad Senatum, scribunt. Ambo et Chirurgorum maxima pars, noſtrae opinioni contradicentes, maxime in errorem inducebantur, cum viderent numerum mortuorum in urbe non auctum, sed respective ad praeteritos annos minorem eſſe, pauciſſimosque aegrotos ibidem numerari.

Poſt aliquot dies ad senatum vocatus cum reliquis Medicis omnibusque

(a) Civitatis Physicus ulcere gangraenoso cruris fine Februarii laboravit, qua propter huic consilio medico adesse non potuit; nec diu supervixit.

que Chirurgis, ut noſtras opiniones iterum aperte declaremus, Deum teſtor, me perſuaſum habere, morbum de quo agitur, veram eſſe peſtem; decem mei collegae ſententiam meam tuentur, duo memorati nobis contradicunt, fatentur tamen, omnes cautelas non esse reiiciendas, cum contagioſi quid habeat morbus, quem peſtem eſſe negant.

Prima dies (11. Martii) praeterlabitur deliberando; ianuae domus infectae clauduntur, milites ipſis apponuntur, ne quis exeat, vel intret; per feneſtras multi aufugiunt; reliqui ſubſequente nocte extra urbem ducuntur, ſani in monaſterium ad S. Simeonem, aegri in aliud ad S. Nicolaum, quorum illud ſex, hoc octo ſtadiis (Werſt) ab urbe diſtant. Haec monachorum habitacula altis muris circumdata ſunt, exituſque datur per unicam portam. Cum aliqui ex operariis, qui in propriis et privatis aedibus habitabant, quoque peſte mortui reperirentur, omnes in tertio monaſterio, extra nrbem pariter ſito,

ſeclu-

secluduntur. Chirurgi, qui horum omnium curam gerebant, iuſſi ſunt relationem aegrotantium et mortuorum in curiam medicam quotidie mittere. Medici quoque eliguntur, qui curare debent, ut omnia, quae ad aegrorum curationem, suspectorum conservationem, et cadaverum sepulturam spectant, rite peragantur. In hoc officio multum de publico meruerunt Clar. Erasmus et Expert. Yagelsky. Quando inter suspectos aliquis aegrotare incipiebat, in peculiari cubiculo detinebatur, donec ſigna peſtis apparerent, tuncque deferebatur ad nosocomium peſtilentiale ad S. Nicolaum, plauſtris et hominibus ad hoc deſtinatis.

Clauduntur balnea publica, quae plebs semel saltem in hebdomade frequentare solet. Urbs in septem regiones dividitur, et conſtituuntur totidem Medici, quorum unusquisque duos Chirurgos vicarios habet, ut omnes aegros et cadavera inspiciant. Ipsis quoque politiae Adminiſtratores adiu-

adiutores dantur. Sepulturae in urbe prohibentur, et extra illam in diverſis regionibus, ad aliquam diſtantiam, loca cadaverum sepulturis aſſignantur. Statuitur, si quis ex plebe peſte affectus reperiatur, illum in nosocomium ad S. Nicolaum deduci debere, et reliquos, qui cum illo in eodem cubiculo manebant, in locis publicis extra urbem dies quadraginta (*a*) morari, aegrorum supellectile combuſta: si vero in domo civis, vel nobilis hoc accideret, servos omnes in eodem conclavi iacentes in memoratis locis publicis detineri, et dominum cum reliqua familia in propriis aedibus seclusum manere spatio undecim dierum. Haec omnia senatus consulto confirmantur et sanciuntur. Supremus publicae sanitatis Adminiſtrator decreto Imperiali conſtituitur Excell. Petrus Demitrides

(*a*) Vid. infra huius Part. Cap. IV. Chenot. de Peste pag. 197. 208.

des Eropkin, vir morum integritate, genere, et virtute bellica clarus.

Pauci etiam tum, peſtem adesse, convicti erant. Tunc temporis ex Moldavia Petropolim petens, Moscuam transibat Expertiſſ. Oreus, exercituum Medicus, vir magna laude dignus, qui sponte sua peſtiferorum in urbe Yaſſi curam susceperat; rogatus, ut aegros et cadavera inspiceret, teſtabatur, hunc morbum simillimum illi, qui in Moldavia et Valachia nuper magnam cladem fecerat, et veram eſſe peſtem. Hoc confirmabat quoque Clariss. Lorch, Kiovia tunc redux, ubi moratus fuerat, dum superiore anno peſtis hanc urbem affligebat.

Tempeſtas frigidiſſima ad medium Aprilem perduravit; miasma inde magis fixum et iners, eos tantum afficiebat, qui cum aegris habitabant. In nosocomio peſtilentiali tres vel quatuor de die moriebantur, totidemque circiter ex suspectis operariis in morbum incidebant.

In-

Integra civitas ex relationibus Medicorum ,. Chirurgorum et politiae Adminiſtratorum sana videbatur. Plurimi credebant , Medicos , qui peſtis nomine morbum insigniverant, fabulam protulisse ; reliqui in dubio haerebant . Haec sic procedunt ad medium Iunium , quo intervallo in nosocomio ad S. Nicolaum ducenti circiter mortui sunt . Aegrotantium et morientium numerus sensim minuitur, et tandem per integram septimanam, etsi tempeſtas satis calida facta eſſet, nullus peſte corripitur ; in nosocomio pauci tantum convalescentes remanent ; in urbe nullum contagii veſtigium reperitur . Inter operarios, qui in privatis aedibus habitaverant , et in tertio monaſterio seclusi erant nemo spatio duorum , et ultra , mensium , peſte affectus fuerat ; ipsis domos sua petere , licitum eſt .

Spes sic nascebatur, adhibitis cautelis peſtem radicitus exſtinctam esse, felicioresque lucere dies . Dum hoc fruimur gaudio, exeunte Iunio in mo-

ſterio ad S. Simeonem incipiunt denuo nonnulli aegrotare eodem morbo. Die 2. Iulii in suburbio Preobraginsky, in privata domo, sex homines una nocte moriuntur, (*a*) septimus aufugit: in cadaveribus reperiuntur maculae lividae, bubones, carbunculi. Sequentibus diebus plures ex plebe in variis urbis regionibus peſte decumbunt: funera insigniter augentur, adeo ut iſta, quae alias inter decem et quindecim, imo, vigentibus febribus epidemicis putridis, ut praeteritis annis, non ultra triginta, de die numerabantur, versus finem Iulii ad ducenta usque quotidie notarentur. In aegris et cadaveribus petechiae latae, lividae, vibicesque observantur, nec non in multis carbunculi et bubones: nonnulli

(*a*) Unde contagium susceperant, expiscari non potuimus: forte vigiliarum negligentia communicationem cum seclusis operariis habuerant, vel res ab hisce sub terra reconditas effoderant.

nulli ſubito, vel nycthemeri ſpatio moriuntur, antequam bubones et carbunculi erumpere potuerint; plerique tertia, vel quarta die. Medio Auguſto quadrigentorum erat numerus quotidie morientium, fine eiusdem menſis ad ſexcentos aſcendit (plures, quam Iulio, carbunculi et bubones occurrebant); primis Septembris diebus ad ſeptingentos, dein octingentos, et paulo poſt ad mille pervenit.

Contagium adhuc magis ſpargebatur, quando tempore tumultus, qui die 15. Septembris ortus eſt, furibunda tunc plebs noſocomia, quae peſte laborantes continebant, et loca, in quibus ſuſpecti detinebantur, aperuit, omnes ſuas caeremonias eccleſiaſticas circa aegros reſtituit, et mortuos in urbe ſepelivit. More ſuo denuo proximis et amicis mortuis, oſculando valedicebant; nullas volebant cautelas, illasque incaſſum adhiberi proferebant; nihil aliud hanc calamitatem eſſe dicentes (ipſorum verbis

utor) quam flagellum Dei propter neglectum antiquum religionis cultum; iamque praedeſtinatos esse illos, qui mori deberent, hosque nullo modo sortem suam vitare posse; cautelas omnes ipsis moleſtas, et Deo invisas esse; eiusque iram solo cultu religioso placari debere, reiectis auxiliis humanis. Illuſtr. Generalis Eropkin cum parva militum manu tranquillitatem publicam, et omnia in priſtinum ſtatum paucis diebus reſtituit. Tot hominnm sanorum, aegrotorumque concursu, contagio aucto, mille et ducenti ultraque singulis diebus moriebantur.

Moscua inter maximas Europae civitates numeranda, quatuor urbes continet; minima (Kreml dicta) centrum occupat, hanc ambit secunda (Kitaïa); ambae domos continent ex lateribus conſtructas, et similibus muris circumdatae sunt; poſt has Bielogorod (urbs alba) cuius muri deſtructi sunt; tandem Zemlanoigorod (ex Zemla terra et Gorod urbs)

urbs) vallo et foſsa circumſcripta : in his ultimis maxima pars aedificiorum lignea eſt . Domus non contiguae ſunt , ſed a ſe invicem aliquantulum remotae , et in ſingulis una tantum familia habitat ; unicam vel duas contignationes habent . Nobiles magnum ſervorum numerum alunt. Plebs in humilibus aediculis ligneis confertim manet.

Ex omnibus Imperii partibus nobiles hiemali tempore Moscuam petunt , et numeroſam familiam ſecum ducunt . Multi ex plebe aeſtate laboribus ruſticis operam dant , et hieme in urbem redeunt , ubi vario modo victum quaerunt . A menſe Decembre ad Martium tantus hominum confluxus urbem replet , ut ducenta et quinquaginta , ac iuxta aliquos tricenta millia ibidem numerari poſsint . Martio rus redire ſenſim incipiunt , et per totam aeſtatem quarta pars incolarum abeſt . Hoc anno multo plures aeſtivo tempore metus peſtis fugavit , adeo ut menſe Augu-

ſto ultra centum et quinquaginta millia Moscuae remansisse vix credam. Quam atrox fuerit morbus, et contagium actuosum, eo intelligitur, quod ex hoc numero mille et ducentos quotidie auferret. Quotidianus hic morientium numerus per aliquot dies permansit, dein ad mille regressus eſt. Cum tempore tumultus caeremoniae ecclesiasticae, cum quibus mortuos sepelire solent, a plebe reſtitutae fuissent, fere omnes sacerdotes et ecclesiarum miniſtri peſte perierunt.

Plebs severitate ad obsequium redacta, et contemplatione auctae calamitatis placidior facta, auxilium noſtrum implorare coepit. Cum monaſteria, aliaque xenodochia peſtilentialia repleta essent, et contagium ubique sparsum, nemo amplius illa intrare cogebatur: ipsamet enim urbs tot aegris referta, ampliſſimum nosocomium dici poterat. Omnes tantum hortabamur, ut sibi caverent; aegros nudis manibus, quantum fieri poſſet, non tangerent; illorum veſtimenta,

et

et reliqua, quae circa illos fuerant, cremarent; aërem purum et liberum in cubiculis servarent. Exc. Comes Gregorius Orloff (nunc S. R. I. Princeps) cum summa poteſtate tunc Moscuam advenit. Iussit, me aliosque Medicos noſtras sententias, seorsum scriptas, dare, iisque praecipue insiſtere, quae necessaria iudicaremus ad delendum contagium; ex iſtis, publica tranquillitate ſtabilita, meliora elegit, et omnia optime ordinavit, tam quoad aegrorum curam, quam sanorum praeservationem. Nova adhuc nosodochia conſtrui curavit, in quae recipiebantur pauperes. Iam ab aliquibus menſibus peſtis in multos pagos proximos et remotos delata fuerat; urbes quoque kalumna, Yeraslaff, Tula, eam, una cum effugientibus Moscua, receperant; in has & illos mittuntur sanitatis inspectores, Medici & Chirurgi. Conſtituitur consilium sanitatis, ex Illuſtr. Eropkin Praeſide, aliquot Conſiliariis, tribus Medicis & uno Chirurgo. Relationes Medicorum & politiae Admini-

niſtratorum ad illud quotidie deferebantur, omniaque ad publicam sanitatem ſpectantia dirigebat. Duo Medici Clariſſ. Pogaretzky et D. Meltzer, promissa ipsis mille nummorum (Roubles) mercede, nosocomia peſtilentialia intrant.

Die 10. Octobris primum gelu observavi, ab eadem morbus mitior factus eſt, et miasma magis fixum. Aegrorum et mortuorum numerus sensim minuitur; decursus morbi, qui unius, duorum, vel trium dierum prius erat, ad quinque et sex nunc extenditur. Petechiae lenticulares, aliaeque maculae et carbunculi, non tam frequenter occurrunt; in omnibus fere aegris bubones observantur. Summum frigus, quod duobus ultimis anni mensibus regnavit, miasmatis vires adeo fregit (*a*), ut lentius, nec tam facile

(*a*) Mercurius in thermometro Reaumuriano inter 16. et 22. gradus infra punctum congelationis constanter stabat.

cile inficerentur illi, qui aegris adſtabant, et mortuos ſepeliebant, multique infecti vix aegrotarent, cum bubonibus ambulantes.

Finis anni 1771. dirae huic cladi, tam Moscuae, quam in aliis Imperii Ruſſici locis, Deo favente, finem quoque imposuit. Praeter memoratas urbes, plus quam quadringenti pagi infecti fuerant.

Per totam hiemem tempeſtas valde gelida permanſit. Ad eradicandum miasma, portae et feneſtrae cubiculorum, ubi peſte affecti decubuerant, disruptae sunt, et haec loca pulvere antipeſtilentiali (*a*) ſuffumigata: aedes ligneae humiles et vetuſtae diruebantur. Veſtigia peſtis per totam urbem reperiebantur. Mense Februario 1772. in variis locis detecta sunt ultra quadringenta cadavera, quae praeterlapſo anno ſub ipſis aedibus ſepulta fuerant. Tanta ineſt frigori effi-

(*a*) Vid. infra huius Part. Cap. 4.

efficacia ad delendum contagium, ut nullus eorum aegrotaverit, qui haec e terra effoderunt et ad sepulcreta publica deduxerunt (*a*).

Numerus peſte mortuorum Moscuae in relationibus ad Senatum et Consilium sanitatis septuaginta millia superavit: unico mense Septembre ultra viginti duo millia numerabantur (*b*). Si his addimus illos, qui pri-

---

(*a*) Clariss. Pogaretzky, qui curam pestiferorum in nosocomio, Laferte vocato, mense Octobri susceperat, mihi postea narravit, vespillones aliquot pelles ovillas, quibus aegri usi fuerant, prius frigidissimo aëri libero mense Decembre per 48. horas expositas, induisse, et horum nullum morbo correptum fuisse.

(*b*) Haec enumeratio non accurata est, debuisset saltem ad 27. millia ascendere numerus mortuorum mense Septembre; cum primis huius mensis diebus septingenti de die, dein octingenti, postea ad mille, tandemque mille et ducenti per aliquot dies in diariis notarentur. Sed tempore tumultus funera inscribi non potuerunt, unde error ortus est.

privatim (*a*) et clam sepulti sunt, ad octoginta millia facile ascendet; quibus adiiciendi sunt mortui in pagis plus quam quadringentis infectis, et urbibus Tula, Yeraslaff, Kalomna (*b*); unde patet, hanc peſtem circa centum millia hominum sustulisse.

Vespillonum officiis fungebantur homines laboribus publicis, vel morti condemnati, et his deficientibus, multi ex pauperrima plebe mercede con-

---

(*a*) Horum numerus non parvus fuit, vastante enim peste, vespillones, equi, et currus sepeliendis cadaveribus longe non sufficiebant; multa per duos tresve dies insepulta iacebant: amici, cognati, vel pauperes mercede conducti illa auferebant; omnia notari non potuerunt, praeter alia plurima, quae clam sepeliebantur, et quorum nulla quoque mentio fiebat in relationibus ad Senatum.

(*b*) Magnam cladem non passae sunt, quia, exemplo Moscuensium edocti harum urbium incolae, omnes cautelas statim admiserunt. In pagis magis debacchata est pestis, iis praesertim, qui remotiores erant.

conducti sunt: ipsis veſtes dabantur, pallium nempe, chirothecae, et larva, ex tela piceata confectae; iussimusque, ut nunquam nudis manibus cadavera contrectarent; sed respuebant: impossibile illis videbatur, homines solo cadaveris, aut veſtium contactu in morbum incidere posse; potius inevitabili fato effectus contagii attribuebant. Plura horum millia amisimus, et raro ultra hebdomadem sani permanebant; plerosque quarto, vel quinto die aegrotare incepisse, ab inspectoribus relatum accepi.

In solam plebem, ut semper accidit, saeviit peſtis; inter nobiles, et ditiores mercatores neminem fere, praeter paucos valde incautos, invasit. Solo aegrorum et rerum infectarum contactu communicabatur; atmosphaera contagium non spargebat, sed sanissima semper fuit. Visitando aegros tam prope adſtabamus illis, ut sola pedis diſtantia inter nos et eos saepe vix remaneret, et absque alia quacunque cautela, quam quod nec cor-

corpus, neque veſtes, aut lectum tangeremus, a peſte immunes permanſimus. Linguam propius obſervando, ſolebam linteum aceto communi imbutum naribus et ori admovere.

Inter tot luctus tres solummodo, quantum mihi notum eſt, nobiles peſtis affecit, pauciſſimos praeſtantiores cives, trecentos extraneos inferioris conditionis; reliqui omnes ex infima gente Ruſſica erant. Illi, calamitoso hoc tempore nihil praeter cibos, hi vero, quodcumque flammis subreptum clam vili pretio vendebatur, emebant; quod hereditate acquirebant comburere recusabant; alii multa furtim auferebant. Quodcunque dixerimus, clamaverimus, nihil iuvit.

In urbe Chirurgi duo, in nosocomiis plures Subchirurgi mortui sunt. Unicus Medicus Clariss. Pogaretzky, et nosocomii ad S. Nicolaum primarius chirurgus Samuelowitsch, peſte aliquoties correpti sunt, sed sudores critici in primo iusultu eos semper a miasmate recepto liberaverunt.

Or-

Orphanotrophium Imperiale, quod mille circiter infantes, (*a*) et quadringentos adultos, tam nutrices et cuſtodes, quam magiſtros et operarios &c. continebat, cautelis infra enarrandis (*b*) a peſte liberum servavi: quatuor tantum operarii, et totidem milites, qui nocturno tempore sepes transcenderant, variis temporibus ibi peſte correpti sunt; hisque a reliqua domo seclusis, malum non latius serpsit. Sic integra haec domus sana permansit, quamquam omnes circumiacentes aedes vaſtatae fuerint. In diriſſimae itaque peſtis furore atmosphaera minime contagiosa fuit, in calore aeſtivo aeque, ac in gelida tempeſtate (*c*); et contagium

---

(*a*) Parvuli lactentes fere omnes nutricibus ruri dati fuerant.

(*b*) Huius part. Cap. IV.

(*c*) Mirum est, quod in Asia et Africa versus solstitium aestivum pestis vulgo cesset, uti testantur Russel in the natural history of Aleppo, et Prosper Alpinus de Medicina Aegyptiorum; dum in Europa tunc exacerbatur, et hiemali frigore domatur.

gium solo contactu aegrorum, vel rerum infectarum, propagabatur.

Iuvenes, robuſtos homines utriusque sexus facilius occupat peſtis, quam aetate provectos et debiles: gravidis non parcebat, nec lactantibus. Infantes quatuor annis minores difficilius infici, infectique peioribus symptomatibus laborare, mihi videbantur.

Etsi nonnulli darentur, in quibus nulla notabilis febris observabatur, omnes fere tamen plus minusve febricitabant. Apud aliquos, numero quidem paucos, in principio morbi delirium in phrenitidem abibat cum febre intensa. Plurimi debiles iacebant, de anxietatibus praecordiorum et cephalalgia tantum conquerentes.

Nimis prolixa multis fortasse videbitur haec peſtis hiſtoria, sed persuasum habeo, ex simplici et ingenua ingressus, progressus, symptomatum, reliquarumque circumſtantiarum narratione, huius morbi naturam et progrediendi modum melius intelligi, convenientemque methodum cu-

rativam et prophylacticam multo facilius inveſtigari poſſe, quam ex omnibus ratiociniis et diſſertationibus, quae in immenſis loïmographorum voluminibus reperiuntur.

Diu inquiſivit noſocomii militaris Medicus, unde, et quomodo in illud devenerit peſtis, tandemque invenit, duos milites, qui menſe Novembri anni 1770. ibidem mortui erant, ex urbe Choczim, ubi peſtis graſſabatur, Moſcuam adveniſſe, mortuo in itinere Tribuno, quem ſequebantur. Horum cadavera forte ſecuit anatomiae Proſector, unde, ſi peſtis illum ſuſtulit, contagium ſuſcepit. Veroſimile eſt, cuſtodes ab ipſis infectos fuiſſe frequenti communicatione, dum vivebant, ſive contrectatione veſtimentorum, et cadaverum; ſicque illos contagium inter ſuas familias ſparſiſſe.

CA-

CAPUT II.

Diagnosis pestis.

Definitio.

Ex historia superiori capite tradita, aliisque pestis relationibus, constat, illam esse morbum acutissimum, petechiis, bubonibus, carbunculis, anthracibus plerumque ſtipatum, febrem (nisi subito trucidet) comitem habentem, et valde contagiosum, ex Aegypto, vel aliis Turcici Imperii provinciis, ad nos per contagium allatum.

Ut absolute denotetur pestis, debent haec omnia symptomata in aliquibus, aut pluribus aegris observari. Vidimus ea ab initio peſtis Moscuensis adfuisse, quae nullum dubium de morbi natura admittere debuiſſent.

Eadem seorſum ſumpta, peſtem minime conſtituunt: decurſus celer pluribus morbis communis eſt; petechiae et quidem latae in morbis putridis vulgaribus obſervantur; dantur quoque in aliis carbunculi et anthraces; bubones luis venereae et ſcorbuti etiam proles ſunt; et nonnunquam, etsi raro, in febribus putridis apoſtemata ſub axillis criſin abſolvunt, ſed tunc tarde ſuperveniunt, et hi morbi aliis ſymptomatibus carent, quae, una cum bubonibus, peſtem conſtituunt. Summum contagium, quo ex uno homine in alios morbus facile defertur, in definienda peſte maxime neceſſarium eſt; ſine hoc enim non datur peſtis. Tandem, ſi communicatio adeſt per commercium, aut bellum cum Turcis, vel Aegypto, et morbus, cui data definitio omnino convenit, aliquot, vel plures occupat, peſtem eſſe, certum eſt. Non poſſunt in ſimilibus caſibus nimis cauti eſſe Medici, cum minimus error ſummum damnum inferre

ferre valeat. Si pestis nomen tribuunt morbo, qui peſtis non est, commercio et publicae rei valde nocent, inanemque terrorem omnibus incutiunt: ubi vero praesentem illam non agnoscunt, vel declarare negligunt, impediunt, quo minus principiis obſtetur, et horrendam cladem in populos inducunt. Vidimus, quam facile in nosocomio militari Moscuensi ab initio cognitus morbus ſuffocatus fuerit; et quam tuto quoque iisdem cautelis in pannorum officina exſtingui, tantaque calamitas averti potuisset, si mense Ianuario, quando ibidem incoepit, denunciatus fuisset. Miasma ab initio, propter frigus iners et magis fixum, lentius serpebat, sed deinde calore aeſtivo excitatum et subtilius factum, ineunte Iulio furere incoepit, homines celerrime inficiens et trucidans.

Vario modo morbus incipit, iuxta diversas corporum conſtitutiones, ac anni tempeſtates, et quandoque sub

larva aliorum morborum ; (*a*) sed plerumque cephalalgia, temulentia, horripilatione, virium proſtratione, febricula, cum nausea et vomitu plus minusve copioso, variae materiae ; oculi rubicundi sunt, aspectus triſtis, lingua alba, sordida. Cum his symptomatibus per horas, imo diem unum alterumve, nonnunquam obambulare valent. Pruritum et dolores percipiunt in locis, ubi bubones et carbunculi erupturi sunt. In furore peſtis plures prima vel secunda die morbi moriuntur, antequam prodeant

(*a*) „ Ipsa pestis quandoque sub larva „ aliorum morborum latuit. Dum anno decimo tertio huius saeculi Vindobonae grassabatur, saepius occultabatur sub pleuritidis, „ catarrhi, anginae specie ; brevi post prodibant bubones et carbunculi, certissimi „ pestis testes, et stipati solitis symptomatibus. " Van Swieten Comment. in aphorism. Boerhaav ad §. 1404. Tom. V. pag. 152. 153. et Wiener Pestbeschreibung und Infectkions-Ordnung pag. 245.

ant tumores, petechiis vel maculis rubris paulo ante mortem cutem deturpantibus; et nonnulli sine hisce exanthematibus (*a*). Secunda, vel tertia die bubones et carbunculi apparere solent, raro quarta. In aliquibus primus insultus morbum inflammatorium aemulatur; calor urens, sitis ingens, urinae flammeae, genae, rubentes, delirium ferox et phreniticum, hoc demonſtrant; in plerisque vero in principio febris nervosae formam induit; calor levis eſt, parum sitiunt, urinae crudae sunt et aquosae; se leviter tantum aegrotare putant, donec summa virium proſtratio, bubones, carbunculi, petechiae, vibices, nullum ipsis et adſtantibus dubium de periculo relinquant. Dantur, at rarissime, in quibus typum febris intermittentis servat. Ante sextam diem omnes fere moriuntur; qui

(*a*) Confer. Chenot de Peste Cap. IV. pag. 97. et Sydenham. Sect. II. Cap. II.

septimam superant, maximam spem recuperandae valetudinis iure fovent.

Bubones.

Bubo (*a*) eſt tumor glandulosus dolens, plus minusve elevatus et profundus, glandulas inguinales aut subaxillares occupans. Idem nomen in peſte quoque tribuitur aliis tumoribus glandulosis externis per totum corpus; hinc genas, collum, etc. bubones obſidere dicuntur. In inguinibus infra commissuram femorum, et sub axillis aliquod digitos transversos infra cavi fundum, sedem suam vulgarem peſtilentiales habent. Bubones veram peſtis criſin conſtituunt; quae ut sanitas sequa-

(*a*) „ Inguina βȣβόνες dicuntur, et glan-
„ dularum tumores in inguinibus eodem no-
„ mine designantur. Aliarum glandularum tu-
„ mores per reliquum corpus dispersi, simi-
„ liter bubones vocati sunt. Usu tamen obti-
„ nuit postea, ut tumores sub axillis nati et
„ in inguinibus hoc nomine insignirentur. "
Van Swieten Comment in Aphor. Boerhaav. ad §. 1448. Tom. V. pag. 437. et confer. idem ad §. 416. Tom. I. pag. 727. seq.

quatur, perfecta eſſe debet, bona maturatione et ſuppuratione. Saepe accidit, bubonem pervenire ad molem nucis avellanae, imo iuglandis, et paulo poſt evaneſcere; vel dum remanet, non inflammari, nec dolere: nullum tunc inde levamen percipit aegrotus, et in priori caſu mors non procul eſt. Quandoque ſubito oriuntur magni bubones, flaccidi, absque inflammatione et dolore notabilibus, qui tantum levamen afferunt, ut aegri, qui paulo ante in extremis eſſe videbantur, ambulent, comedant ſeque ſanos credant; ſed elapſis aliquot horis ſubito moriuntur. Si itaque bubones ſenſim mole augentur, dolent, rubent, ad ſuppurationem tendunt, et ſimul reliqua ſymptomata morbi mitiora fiunt, veram et perfectam criſin exſpectare poſſumus. Bubo unicus inguen, vel axillam vulgo occupat; reperiuntur non raro bubones in utroque inguine, rarius ſub ambabus axillis, at frequentius in uno inguine et ſub axilla ſimul.

Paro-

Parotides.

Parotides in peſte quoque occurrunt, et bubonibus aequiparari poſſunt; ſed non adeo completam criſin perficiunt, ac bubones inguinales vel ſubaxillares.

Carbunculi et Anthraces.

Carbunculus eſt macula gangraenosa cutis, partis aduſtae faciem prae ſe ferens (unde forte hoc nomen recepit), rubor nempe veſiculis pallidis, lividis, aut nigris obſitus, inflammatione cinctus, in eſcharam nigram duramque cito degenerans (*a*). Anthracis nomine, quod Graece idem ſignificat, ac latine carbo, vulgo venit malum priori ſimile, ſed gravius, magis prominens, et panniculum adipoſum altius penetrans, carnibus circumiacentibus valide inflammatis et dolentibus (*b*). Car-

(*a*) Vid. Aurel. Cornel. Celſi Medic. Lib. V. Cap. 28. Nr. 8.

(*b*) Ibid. Nr. 1. et conf. van Swieten Comment. in aphoriſm. Boerhaav. ad §. 416. Tom. I. pag. 729.

Carbunculi sedem suam habent in collo, genis, pectore, dorso, et extremitatibus, ac nonnunquam ipsis bubonibus insident: anthraces in collo et dorso plerumque observantur. Incipit carbunculus a puncto minimo, unde tanquam a centro expanditur, vesiculam unam, vel plures ferens, quibus ruptis sanies effluit, et subiecta cutis livescens sideratur. Quando aegri vires deficiunt, non elevatur; sed istis adhuc vigentibus, partes vicinae inflammantur, circulus ruber in ambitu escharae apparet, suppuratque, et sic facta crena, separatio mortui a vivis incipit: procedente suppuratione sub parte gangraenosa versus fundum, eschara undique soluta cadit, et ulcus relinquit. Aliquando sine bubonibus carbunculi prodeunt, saepius eos comitantur, sed serius tunc illis supervenire solent.

Petechiae et Vibices.

Petechiae similes iis sunt, quas in febribus putridis videmus, vel

ma-

maiores , aliquando magnitudine lentem aequantes ; coloris purpurei, lividi , aut nigri . Accidit quoque , quod cutis varietur innumeris minimis punctis , et vibicibus , lividis , nigrisve , partem verberatam referentibus . Haec omnia exanthemata pessima sunt ; ultimaque inſtantem mortem praenuntiant .

Pulsus.

De pulsu in hoc morbo propria experentia nihil referre poſſum. Cum haec peſtis tanta contagii vi praedita eſſet , ut solo aegrorum attactu inficeret , pulsum non explorabamus. Medici et Chirurgi in xenodochiis cum chirothecis pulsum tangebant , alii folia Tabaci in promptu habebant , quae prius aegrorum carpis imponebant. Relationibus ab illis ad curiam medicam miſſis compertum habeo , in diverſis aegris pulsum valde differre , in uno eodemque homine admodum inconſtantem , mox frequentem , durum , fortem , mox lentiorem , mollem , parvum , sed plerumque debilem cum vario frequentiae

tiae gradu, reperiri. Si propria conſervatio nos non impuliſſet, ut certum periculum vitaremus, ab exploratione pulſus abſtinendo; iuſſiſſet aliorum ſalus, quos, ſuſcepto contagio, inficere potuiſſemus. Color faciei, totius corporis habitus, reſpiratio, conditio linguae oriſque, ſitis, urinae, et reliquae circumſtantiae, gradum caloris vimque circulationis illis quodammodo denotabant, qui morborum obſervationi aſſueti, per analogiam diiudicare poterant. Ne quis tamen credat, me inde concludere velle, pulſus explorationem in hoc morbo inutilem, et ſuperfluam eſſe.

A ſymptomatum varietate opinio nata eſt, tres dari peſtis ſpecies; petechialem nempe, carbunculis ſtipatam, et bubonalem. Relata hiſtoria ſatis demonſtrat, unum eundemque morbum eſſe, qui ſub diverſis circumſtantiis, et variis temporibus cum maiori, vel minori atrocitate homines afficit. Petechiae, bubones, carbunculi ſaepe in eodem aegro ſimul ob-

ſer-

servantur, vel illis hi ſuccedunt, aut viceversa. Iulio plures moriebantur ante tumorum eruptionem, cum ſolis petechiis; Auguſto et Septembre haec exanthemata, cum bubonibus et carbunculis, in plerisque reperiebantur; a medio Octobris morbus mitior factus, adhuc petechias et carbunculos producebat, ſed non tam frequenter, nec adeo malignos. Ante hoc tempus ex centum aegris vix quatuor evadebant; ultimis vero anni menſibus multo plures. In peſte Londinenſi idem obſervavit Sydenhamus: (*a*)
„ Ita primis menſibus, quibus graſſa-
„ batur peſtis, nullo fere non die eius
„ contagio adflati, dum in triviis ver-
„ ſarentur, inopinantes exſtincti ſunt,
„ nihil prorſus mali praeſentientes;
„ cum, ubi morbus adoleverat, ne-
„ minem, niſi febre atque aliis ſym-
„ ptomatis praecedentibus, unquam
„ proſtravit: ex quo abunde confi-
„ citur, morbum hunc in ipſis incu-
„ nabu-

(*a*) Sydenh. Sect. IV. Cap. III.

„ nabulis magis efferatum atque acu-
„ tum fuisse, (*a*) quam poſt prin-
„ cipia : licet pauciores prima acie
„ iugulaverit, aucto iam scilicet, quem
„ habebat in corpora humana, influ-
xu. " Per bubones natura conatur, se malo liberare; carbunculi et petechiae mera symptomata sunt, solutionem humorum putridissimam, maximamque acrimoniam denotantia; hinc, quo illi frequentius, et hi rarius accedunt, eo mitior peſtis eſt.

Prognosis.

Nulla certa prognosis in singulis aegris formari potest. „ Videli-
„ cet vere Protheus morbus non in
„ variis tantum, sed in uno eodem-
„ que aegro intra breve tempus no-
„ vas induit formas, nova offert phae-
„ nomena, novas aperit origine, ne-
„ xu, progressu, succeſſu, mire va-
„ riantes scaenas. In hoc aegro le-

„ vis

(*a*) Notandum est, quod haec pestis aestate inceperit.

„ vis invasio impraevisam mox aperit „ morborum catervam ; in iſto terri- „ fica initia salutarem nanciscuntur exi- „ tum : ille praeter spem emergit, „ quem morbi gravitas morte dam- „ nare videbatur. Alter perit, qui „ se vix aegrotum exiſtimat, tertium „ videas sanorum more circumambu- „ lantem, qui poſt paucas horas cadit „ mortis victima. " (*a*) Bubonum bona suppuratio, ut et in carbunculis separatio escharae, cum reliquorum symptomatum levamine, laetam prognosin praebent.

Differentia inter pestem et febres putridas.

Ex his omnibus elucet, qualis sit febrium putridarum et malignarum, quae, ob deleterios effectus suos, pestilentiales (*b*) quandoque ab Au-

(*a*) Chenot. de Peste pag. 93. Conf. Russel the Natur. History of Aleppo pag. 229. et 235.

(*b*) „ Suadeo itaque, ut illi epidemici morbi

Auctoribus nominantur, distantia a genuina peſte, quantumque inter se differant. Hae febres generaliter decursum lentiorem habent; non omnibus unquam symptomatibus, quae peſtis comites sunt, ſtipantur, nec tam certo trucidant; et ubi contagiosae evadunt, minori tantum gradu hanc se propagandi vim acquirunt.

Quomodo pestis propagetur.

Miasma peſtilentiale ad nos allatum, per aegrorum contactum, vel fomitem, aut aërem occlusum et effluviis contagiosis refertum, minime

„ morbi, qui contagio, symptomatum saevitie et anomalia ad pestem quadantenus „ accedere videntur, potius a praevalente „ quodam symptomate cognominentur, quam „ ut inepte pestis nomen usurpetur, et inde doctis erroris, ut plebi terroris ansa „ detur. „ Chenot. de peste pag. 52. „ Differt pestis a pestilentialibus morbis, quod „ pestis est genus morbi unicum iam definitum; pestilentiale vero tot sint morbi, quot „ sunt maligni et epidemici, qui plures e medio „ tollunt, quam sanos dimittunt. " Sauvages Nosolog. Tom. I. 414.

vero per liberam atmoſphaeram propagari, extra omne dubium ponere, ſequentia argumenta mihi videntur. Morbos epidemicos, quorum cauſae in atmoſphaera haerent, nemo vitare poteſt. Omnes illi, qui abſtinent a communicatione qualicumque cum aegris tam immediata, quam per varias ſubſtantias, quae ſeminium recondunt, a peſte immunes remanent, etſi in eadem regione, vel urbe vivant, quas iſta depopulatur; dum pauperes labore victum quaerere coacti, et propriae conſervationis minus ſolliciti, aegrorum commercium non fugiunt, veſtimentis teguntur, quae vili pretio emunt, vel hereditate acquirunt, ſicque contagio continuo expoſiti, labe inficiuntur. E contra, ſi in atmoſphaera haereret morbi cauſa, vel in ſtatu ſuo activo ab illa circumferretur, neceſſario ſequeretur, omnes eiuſdem regionis, ſaltem loci, incolas cuiuſcumque conditionis indiſcriminatim affici debere, quod in pluribus morbis epidemicis accidere, notum eſt.

Uni-

Unicum vero hoc quoad peſtem atmosphaerae adscribi poteſt, quod eius conditiones corpora noſtra suscipiendo contagio plus minusve disponere, et miasmatis virus acuere, vel obtundere et deſtruere valeant. Quod quidem Sydenhamo iam compertum erat, quando scripsit: „ Interea aëris dispo„ sitionem quantumvis λοίμωδη, pesti „ suscitandae imparem esse, vehe„ menter suspicor; quin pestilentiae „ morbum alicubi semper superſtitem, „ aut per fomitem, aut per peſti„ feri alicuius appulsum, e locis in„ fectis in alios deferri, ibidemque „ nonnisi accedente idonea aëris dia„ thesi popularem fieri. " (*a*) Nostra experientiae conformis quoque est Swietenii sententia: (*b*) „ Qui enim „ ad primum peſtis appropinquantis „ nuncium mutaverunt locum, ac

(*a*) Sect. II. Cap. 2.

(*b*) Comment. in aphorism. Boerhaav. ad §. 1407. Tom. V. pag. 157. seq.

„ longe e contagio remoti vixerunt, „ immunes manserunt, ut notum eſt. „ Sed et obſervata docuerunt, illos, „ qui domibus ſuis incluſi vixerunt, „ ab omni commercio hominum re- „ moti, a peſte tutos manſiſſe. Plu- „ res tales caſus legi poterunt, (*a*) „ ubi homines de omnibus ad victum „ neceſſariis colligendis ſolliciti pri- „ us, domos deinde occluſerunt; ita „ ut toto morbo graſſantis tempore „ nihil de illis audiretur omnino. Fi- „ nita labe hac epidemica, nullus ex „ his familiis deſiderabatur. Dum pe- „ ſtis annis 1718. et 1719. in urbe „ Aleppo ſaeviret adeo, ut octoginta „ hominum millia perirent ſex men- „ ſium ſpatio, familiae Anglicae, do- „ mibus ſuis recluſae manſerunt in- „ columes. Simili modo collegia a „ civibus academicis habitata, et mo- „ naſteria manſerunt pro maxima par-

te

(*a*) Citatur hic Lobb, of the plague pag. 45. &c.

,, te a peste libera. Aliis quoque tem-
,, poribus in Aleppo, graſſante peſte,
,, Europaei domibus suis occlusi, ab
,, omni commercio reliquorum remoti,
,, a peste liberi vivunt, dum incolae
,, Mahometani, fatalem necessitatem
,, omnium rerum contingentium, ex
,, religionis suae instituto, credentes,
,, nullam volunt cautelam adhibere et
,, turmatim pereunt. Prudentiores ta-
,, men sub praetextu religiosae pere-
,, grinationis, Mahometis nempe se-
,, pulchrum veneraturi, se contagii
,, periculo subducunt. Voluerunt qui-
,, dam ex illis, Europaeos, peculia-
,, ri quadam idiosyncrasia, a peſte mi-
,, nus infici; sed certis constitit ob-
,, servatis, nativos huius regionis in-
,, colas, si una cum Europaeis reclusi
,, maneant, eodem cum illis privile-
,, gio gaudere, et contra, Europaeos,
,, si hanc cautelam vel negligant, vel
,, sero nimis adhibeant, aut in pu-
,, blicum prodeant, antequam pestis
,, cessaverit, aeque infici ac reli-

„ quos. (*a*) Verum quidem est, quod „ legatur apud eundem Auctorem (*b*) „ Europaeos sic reclusos, vesperi in „ superiori domus parte, quae plana „ eſt, cum vicinis similiter reclusis, „ confabulari, imo fenestris apertis „ secum invicem loqui. Adeoque vide- „ tur inde concludi posse, pestis con- „ tagium non haerere in aëre, cum „ tunc tales inclusi in urbe infecta „ habitantes, eundem cum reliquis ci- „ vibus aërem inspirent, et totum „ corpus eorum undique alluatur aëre „ infecto, nec tamen inficiantur. Sed „ considerandum est, haec colloquia „ tantum misceri in superiore domuum „ parte; (*c*) adeoque contagium de peste

---

(*a*) Citatur Russel, the natural hystory of Aleppo pag. 250-262. pro cautelis, quae cum successu adhibentur ad vitandum pestis contagium.

(*b*) Lob of the plague pag. 45.

(*c*) Aeque impune potuissent in viis et plateis ambulare, imo domos, ubi infecti iacebant, intrare, dummodo aegros, vel res infectas non tetigissent: quod mea et multorum aliorum experientia comprobatum habeo.

„ peste laborantium corporibus exha-
„ lans, dispergi per totam atmosphae-
„ ram, et omni inferiori aëre quasi
„ dilui, sicque iners reddi. Notum
„ est, venena acerrima ingenti aquae
„ copia diluta, reddi innocua. Vide-
„ tur itaque pestis venenum ibi im-
„ primis nocentissimum esse, ubi con-
„ ſertum et copiosum, longe minus,
„ ubi dilutum et rarum est. Multa
„ hanc opinionem confirmant experi-
„ menta: &c. " Sic vir singulari ingenii acumine praeditus, aliorum observata perpendens, inde conclusiones elicit, quibus demonſtrat atmosphaerae qualitates, ut pestis causas minime accusandas esse, nec aërem contagium procul deferre. Ex illis quae iam retuli, quaeque novis exemplis infra confirmabo, veritas huius sententiae luce clarius elucere mihi videtur. Eaedem observationes evincunt, aërem liberum nunquam contagiosum fieri, nisi in viciniis locorum, ubi plura cadavera hominum peste mortuorum insepulta putrescunt; occlusum vero, co-

piosis densisque effluviis aegrorum confertim in eodem cubiculo iacentium oneratum, sanis haec loca intrantibus labem inferre posse; et quamprimum eidem libera communicatio cum atmosphaera conceditur, haec effluvia dispersa et divisa virus suum perdere. Vidimus frigus hiemale miasma obtundere et congelare, aestivum calorem illud acuere ac volatilius reddere et tamen aeque sanam aestivo tempore remansisse atmosphaeram, ac hiemali.

Comparatio pestis cum Variolis.

Nulli morbo magis comparari potest pestis, quam variolis. Uterque per contagium recipitur; amborum primum insultum cephalalgia et vomitus comitantur; in variolis febris plerumque intensior est, quam in peste; dein prodeunt tumores singulis proprii, in hac bubones, in illis pustulae peculiaris et determinatae formae; remittunt tunc priora symptomata, et, si bona suppuratio succedit, ex utroque morbo aegroti evadunt.

Praeter haec dantur in variolis, ut

in

in peste, exanthemata symptomatica: in variolis petechiae, et nonnunquam carbunculi; sed utraque in peste multo frequentius. Accidit quandoque, quod ante tumorum et exanthematum eruptionem per sudores aegri peste liberentur; sic quoque datur febris variolosa sine variolis. (*a*) Quibusdam anni temporibus, etsi miasma variolosum adsit, fixum et iners, illos tantum afficit, qui immediatam communicationem cum aegris habent, dum aliis tempeſtatibus et aëris conſtitutionibus, volatilius et actuosius factum, longe lateque per varios fomites dispergitur: hoc ipsis cum peſte quoque commune eſt. Inter mille homines unus, vel alter nunquam variolis corripitur, etsi cum variolosis habitet; sic aliquos vidi, quos peſtis nunquam invasit, quamquam contagio diu expositi manserint. Mulier ex Germania oriunda, sartoris mater, aegrotanti filio

---

(*a*) Sydenham. Sect. II. Cap. III.

lio adſtabat, eius uxori similiter, et septem liberis, omnes, una cum serva, peſti succubuerunt, illa perfecta sanitate semper gaudebat, sanaque permansit. Alia ex plebe Russica anus cum octo infantibus, et duabus aliis mulieribus in uno cubiculo habitabat, praeter hanc, et puerum sex menses natum, omnes peſtis victimae fuerunt, et cadavera spatio duorum dierum in eadem domo insepulta iacebant, illa omnes aegros, et cadavera absque ulla cautela saepissime amplexa fuerat, et tamen incolumis remansit; ut et uxor caminorum scoparii, cuius historiam infra referam, (*a*) quae marito et alii aegroto in eodem cubiculo decumbentibus per totum morbi decursum adſtiterat. Talia exempla tamen valde rara sunt, et forte inter mille unicus hoc privilegio gaudet.

Variolarum morbus apud nos (*b*) mul-

(*a*) Huius Part. Cap. IV.

(*b*) Kalmukis aeque funestae sunt variolae,

multo mitior eſt, quam peſtis, et plurimi inde evadunt; hominesque illum ſemel paſſos nunquam corripit ſecunda vice. In Europam ſaeculo ſeptimo ab Arabibus ex Aſia allatus, continuo inter nos haeret. (*a*) In his peſti non conſonat, quae omnes fere trucidat, quos aggreditur, pluries eundem hominem afficit, et tandem exſtincta nunquam in Europa iterum apparet, niſi aliunde advecta. Inſitio itaque, quae variolas adeo mites creat, et homines ab illis, ut variolae na-

---

lae, ac nobis peſtis, unde apud illos mos eſt, quod, ſi aliquis iſtis corripiatur, campos ſubito mutent, et et procul aufugiant, aegrum ſolum relinquentes cum aqua et cibis, pro aliquot diebus neceſſariis.

(*a*) Apud plebem omnes fere in infantia, vel iuventute variolis laborant, cum contagio ſine cautela expoſiti ſint; dum procerum proles, durantibus epidemiis varioloſis, a commercio reliquorum ſecluſi tenentur. Hinc explicari poteſt, cur, antequam inoculatio in aulis accepta fuerat, multi principes variolis in aetate iam provecta decumberent: ab illis enim liberi ſervabantur, donec infortunio quodam ad ipſos contagium penetraret.

naturales, per totam vitam liberos reddit, quoad peſtem minime convenit, cum experientia comprobatum sit, hanc illos non solum in variis vitae periodis, sed et in eadem epidemia, bis, aut saepius occupare posse.

Nugis et fabulis, quae apud multos loimographos leguntur, diu insistere, me pudet: aſtrologiae enim et praesagiorum tempora praterlapsa sunt, imperioque philosophiae naturalis locum cesserunt. Quid igitur immorabor in refutandis praesagiis pestis a cometis, et lusibus puerorum, (*a*) dum tumulos construunt, ac sepulturas fingunt? Stultissima plebs talia excogitare et credere potest: mirum eſt, quod a Medicis unquam accepta relataque fuerint. Verosimilior videri posset opinio, qua ſtatuitur, aves aufugere e locis, quae peſtis depraedatur; sed et hanc falsissimam esse, affirmare non dubito. Non minorem avium cuius-

(*a*) Diemerbröck de peste.

cuiuscunque generis numerum toto hoc anno Moscuae volitare vidimus; nec illae, quae caveis inclusae in domibus servabantur, peius, ac aliis temporibus, se habuerunt, quamdiu aderant homines, qui ipsis pabulum praebebant: sed facile eſt credere, multas, in tanta rerum perturbatione, negligi, et fame sitique perire. Huc quoque pertinent aliorum somnia, (*a*) qui imaginabantur, se vidisse nubeculas in aëre natantes, et domos super quas cadebant, inficientes; nec non globos (*b*) igneos, caeruleos, labem inferentes. Coelum serenum fuit Moscuae Iulio et Auguſto, dein saepius nebulosum; sed simile quid, nemo unquam vidit. Praeterea ab omni probabilitate haec nimis remota sunt, ut minimam fidem ipsis adhibere possimus. Ingenia hominum terrore perculsorum prona sunt, fabulas excogitare,

(*a*) Schreiber de pestilentia pag. 6. Sorbait cons. de pest. pag. 34. 36.

(*b*) Sorbait ibid. pag. 137-140. et Medic. pract. Tractat. VIII. Cap. XV.

tare, et in maximis insuetisque calamitatibus portentosum et ſtupendum quid in causis et effectibus exquirere, dum naturalis rerum naturalium decursus observationem negligunt.

CAPUT III.

Curatio Pestis.

Nullum adhucdum notum est remedium specificum adversus peſtem, quod miasma in corpus humanum receptum, vi quadam peculiari iners reddere, vel destruere valeat: quin imo, nulla certa curandi methodus ad hanc usque diem innotuit, quae multos sanitati reſtituat. Initio et in vigore pestis vis morbi omnium medicamentorum virtutes longe superat, et adhibitis, vel neglectis artis auxiliis, aegri fere omnes aeque moriuntur; quando mitior facta eſt, plures sponte sanantur. Hinc fit,

ſit, quod Auctores, alias fide digni, varia remedia ad curandam peſtem decantent, ſeque illis multos ſanaſſe proclament. Quantam medicamentorum farraginem apud plurimos peſtis ſcriptores legimus! Quales formulae in eorum libris reperiuntur! ubi contraria cum contrariis, ſine ordine et methodo, mixta, nullam veram indicationem illos ſecutos eſſe, teſtantur.

Quamdiu nullum medicamentum ſpecificum notum erit, unicum remanebit, ut inquiramus in naturam morbi, quem miaſma creat, obſervemusque effectus, qui inde ſequuntur, conatus naturae, et vias, per quas ſe malo liberare ſolet, tandemque ſymptomata, quae bonum et malum eventum praenuntiant: his cognitis, per analogiam conveniet incidere, et illa in uſum vocare, quae experientia nos docuit prodeſſe in morbis, quorum genus propius ad peſtem accedit; ſimul oportebit naturam in conatibus ſuis juvare, et obſtacula removere.

Ex hiſtoria peſtis liquet, in infe-

ctis affectus nervosos febrem praecedere, hancque ex genere putridiſſimarum esse, propriis symptomatibus ſtipatam, quibus a reliquis diſtinguitur. Conſtat quoque, paucos dari, in quibus sub forma febris inflammatoriae appareat, et hoc, quando accidit, tantum in primo insultu fieri, dum miasma in nervos agens in valde plethoricis, hanc febrem suscitat, antequam humoribus corruptionem induxerit, mox secuturam; unde subito ex morbo inflammatorio in putridiſſimum tunc incidunt.

Distinctio.

Haec considerans, et animo volvens, duplicem reperio symptomatum seriem in peſte: priora pendent a miasmate nervos afficiente, sicque oeconomiam animalem turbante; sequentia vero ab ipsis procedunt effectibus miasmatis in sanguinem, huius nempe solutione putrida, et acrimonia peculiari, naturae fermenti sui analoga. Illum ſtatum nervosum, hunc putridum voco.

In

Status nervoſus.

In primo per ſudores miaſma nonnunquam eliminatur; cum admodum ſubtile et volatile ſit, coctione non eget, ſed poros facile permeat, et per hos, tenuiſſimis fluidis iunctum, expellitur. Naturam iuvare oportet ea, quae lenem diaphoreſin promovent, qualia ſunt, potus tepidi ſubacidi, infuſa theiformia cum ſucco citri, vel aceto, emulſiones camphoratae, iulapium camphoratum cum aceto, moſchus: haec ultima eo efficacius diaphoreſin inducere valent, quod nervorum turbas quoque compeſcant. Si unquam in peſte venae ſectioni locus datur, hic ille eſt, quando primae illae nervorum turbae in ſumme plethoricis graviſſima ſymptomata inflammatoria excitant. Hoc modo opitulari debemus in ſtatu nervoſo; ſed rariſſime Medicis opportunitas datur, hanc methodum adhibendi: namque, vel miaſma nervos violenter afficiens, quaſi fulmineo ictu homines interficit, aut dum leves turbas ab initio creat,

artis auxilia plerique respuunt, se aegrotare vix credentes; vel tandem ſtatus nervosus nimis brevis eſt, ut in noſtra peſte a Iulio ad finem Octobris, ubi aliquot horis a prima aegritudine elapsis, ſtatus putridus plerumque actutum incipiebat.

Status putridus.

Quando miasma iam sanguinem solvere incipit, ipsumque acrimoniae suae participem fecit, non dubito, quin cortex peruvianus, et acida mineralia, solutioni humorum in febribus putridis vulgaribus adeo efficaciter resiſtentia, hic quoque maxime conducant. Huic ratiocinio ex analogia ducto, quamquam pauciſſimi ex illis, quibus iſta remedia data sunt, evaserint, experientia nullo modo contraria videtur. Corticis et acidorum mineralium effectus lenti sunt, magnaque copia per aliquot dies in memoratis morbis ingeri debent, antequam humorum incipientem putredinem siſtere possint; peſtis has febres, et decursus celeritate, quae citissimam corporum ruinam mina-

na-

natur, et symptomatum violentia, longe superat. In his itaque medicamentis solae desiderantur intenſiores virtutum vires, atrocitati, et celeritati morbi adaequatae.

Praeter difficultates a morbo creatas, quamplurimae dantur, quae a multis circumſtantiis, tempore peſtis occurrentibus, unice pendent, et impediunt, quo minus Medici frequentes accuratasque observationes inſtituant, et in medendo methodum sequantur. Plerumque nimis tarde vocantur ad aegros, qui malum celare conantur, ne a sanguineis et amicis violenta manu separentur, et in nosocomia ducantur: plebs omnia medicamenta reiicit, remediis domeſticis a mulierculis laudatis, maiorem fidem adhibens, praecipue dum videt, aeque multos auxiliis medicis utentes hoc perire morbo. In nosocomiis maximo aegrorum numero refertis aer impurus contagiosusque, foedorum vaporum inspiratio, violenta detrusio, terror, moeſtitia, penuria saepe rerum pro tot aegrotis accumu-

latis neceſſariarum, cuſtodum et miniſtrorum crudelitas, continuo aſpectu tot tantarumque miſeriarum aucta, minima ad ſingulos aegros attentio, una eademque medela promiſcue adhibita, loca miſericordiae et charitatis in horrendos acervos calamitatum, ſedesque dolorum, et deſperationis, templa ſanitatis in lethiferas cloacas, mutant; adeo ut mihi mirum videatur, quod unicus ex centum ibi mortem evadere poſſit. Legamus omnes Loïmographos; ſimiles, easdemque miſerias reperiemus ubique peſtis comites fuiſſe. Quis ergo accuratas obſervationes in noſocomiis peſtilentialibus factas, unquam exſpectabit? Quis ab ipſis peritiſſimis Medicis, et optimis remediis felices curationes ibi expetet? Accuratae ideoque obſervationes circa medendi methodos, et remedia, admodum difficiles, et rarae ſunt, quando peſtis populoſas urbes vaſtat. Civilis adminiſtratio, et cura publicae ſanitatis prius ſic inſtituenda eſt, ut civium ſaluti abſque tanto infectorum detrimento conſula-

ſulatur, antequam in arte noſtra auxilia quaerere poſſimus.

Cum in principio omnes peſte affecti in xenodochia traherentur, rariſſime mihi, reliquisque civitatis Medicis occaſio occurrit, medicamentorum indicatorum effectus experiundi; at quando integra civitas infecta, noſocomio ſimilis facta fuit, animus mihi erat illis, quos morigeros reperirem, exhibito vomitorio, corticem peruvianum et acida mineralia magna quantitate dare; ſed ad tantum malignitatis gradum peſtis tunc pervenerat, ut omnes fere prima, vel ſecunda die ſubito, et praeter exſpectationem morerentur, antequam ipſis propinari potuiſſent. Menſe Septembri mulier 24. annorum cephalalgia corripitur cum febricula et vomitu, mox bubones in inguine, et ſub axilla dextris, magnitudinis nucis avellanae prodeunt, alteraque die petechiae parvae per totum corpus; debilis erat, et quaſi temulenta, lingua alba, humida, urinae pallidae; de capitis dolore et anxietatibus conquere-

batur. Assumptis radicis ipecacuanhae granis viginti, quae vomitum excitarunt, propinabam ipsi decoctum saturatissimum corticis peruviani, cuius libris duabus addideram drachmam unam cum dimidia extracti eiusdem corticis, elixir vitrioli acidi Dispensatorii Londinensis drachmam integram, et syrupi altheae unciam unam: huius medicamenti omni bihorio vasculum trium unciarum sumebat, et praeterea quater de die deglutiebat drachmam dimidiam corticis peruviani in subſtantia: pro potu ordinario decoctum hordei spiritu vitrioli acidulatum usurpabat. Bubones mole sensim augebantur, et elapsis aliquot diebus nucem iuglandem aequabant; in iſto ſtatu permanserunt absque ullo suppurationis indicio: aegra paulatim melius se habere incepit, et hebdomadis spatio fere in integrum convaluit: tunc me invito in nosocomium detrusa eſt, unde paulo poſt egressa, integra sanitate gaudens ad me venit. Ob causas enarratas rariſſime aegrorum curam habere nobis

datum fuit; persuasum tamen habeo, simili methodo multos ex mortis faucibus eripi potuisse ex illis, in quibus miasma lentius, mitiusque procedebat. Hoc confirmare videntur casus trium infantum, quorum unus annum natus erat, alii iuniores; omnes peſtilentialem bubonem in inguine gerebant cum febre, et summa debilitate: ipsis decoctum corticis peruviani cum eiusdem extracto dedi, unde melius se habuerunt, et bubones maturati, bonam suppurationem nacti sunt. Duo integre convaluerunt; tertius cum iam convalesceret, convulsionibus a dentitione ortis, suffocatus eſt. Etsi hoc mense Decembri acciderit, quando morbus multo mitior factus, felicem exitum in multis habebat, huius tamen remedii efficaciam confirmare poteſt, cum infantes semper gravius peſte afficiantur, (*a*) quam adulti, et in tribus simul decumbentibus eosdem salutares effectus praeſtiterit.

(*a*) Conf. Chenot. de Peste pag. 169.

Sanatio in mitiori tantum peſtis gradu, ut iam retuli, ab acidis mineralibus et cortice exſpectari poteſt; multis, scio, data fuisse haec remedia, quos non solum non sanaverunt, sed eorum ne quidem ultimam horam protraxerunt. Nihil praeſtiterunt plurima alia cuiuscunque generis, nec theriaca, immerito adversus peſtem decantata, nec camphora, nec spiritus nitri dulcis. Unde concludere licet, peſtis atrocem indolem omnium medicamentorum hucusque cognitorum, ipsorumque adversus eius naturam quam maxime accommodatorum, vires longe superare. Prae caeteris tamen, analogia, et relatis observationibus inductus, maiorem fiduciam haberem in cortice peruviano et acidis, liberali manu datis; simul debilitati per camphoram, elixir vitrioli, vinum et vescicantia succurrendo. Illi, qui in ſtatu nervoso moriuntur, valida medulae encephali affectione, e medio tolli videntur; alii febre putridissima, peculiaris naturae.

Eme-

Emetica.

Lenia vomitoria, ut radix ipecacuanhae, nonnullis levamen quoddam attulerunt. Chirurgus, qui ex Anglia magnam copiam pulveris, James' s' powder dicti, (*a*) attulerat, aliquibus illum dedit; sed non audivi, quod magis profuerit.

Purgantia.

Purgantia, et quidem lenissima, omnia pessundabant; ab horum usu in diarrhoeam vix compescendam, et summam debilitatem aegri incidebant.

Venae sectio.

Venae sectionem Sydenhamus laudat in peſtis initio, antequam tumores in superficie corporis appareant, eaque multos se sanasse refert: (*b*) e contra Sorbait (*c*) tristissima experientia se edoctum fatetur, plerosque, quibus

(*a*) Vid. supra Part. I. Cap. I.

(*b*) Sect. II. Cap. I. In peste Aleppensi an. 1742-1744. largam sanguinis missionem prima morbi die profuisse, et ea elapsa, aegris semper noxiam fuisse, scribit Russel, The natural hystory of Aleppo p. 242.

(*c*) Consilia medica de peste p. 76.

bus sanguis missus fuerat, occubuisse. Venae ſectionem in peſte valde nocivam, iudico. Nollem tamen omnino et absolute illam dissuadere, si in plethoricis morbum inflammatorium cum phrenitide ſtatus nervosus proferret, quod in peſte Moscoviensi rarissime accidit, uti et in illa, cuius Chenot hiſtoriam tradit (*a*).

Quando miasma iam intime humoribus mixtum eſt, et sanguinem corrumpere incepit, natura a materia morbi se liberare conatur per depositionem in glandulas externas. Ubi tumere, dolere incipiunt glandulae, fomentis et cataplasmatibus emollientibus laxandae sunt, ut facilius humores huc propulsos recipiant, et deinde ad maturationem, et suppurationem perveniant, a quibus aegrorum salus pendet. Hoc fieri intelligimus, si tumores glandulosi mole sensim augentur, dolent, inflammantur cum levamine, et reliquorum symptomatum remissione. Bubones indolentes, flaccidos irritare

(*a*) De Peste pag. 130.

tare convenit, addendo cataplasmatibus emollientibus cepas sub cineribus assatas; vel ipsis imponendo emplaſtra irritantia, diachylum cum gummi, aut meliloti admixto vesicatorio; vel vesicatorium sincerum, si summa aegri debilitas ſtimulum requirit. Bubo maturus aperiatur lanceola, et curetur, ut abscessus tractari solent; adhibitis interim medicamentis internis putredini resiſtentibus, et vires refocillantibus: cortex peruvianus his indicationibus quoque omnino respondet. Ulcera a bubonibus peſtilentialibus relicta difficile et lente consolidantur. Aliquando, sed raro, bubonibus non suppurantibus, aegri sanantur, tumoresque scirrhosi remanent, qui praeter levissimum tumoris incommodum nullam moleſtiam creant. Bubonum germina sponte dissipari quoque visa sunt, dum aegri convalescebant; at similes casus rarissimi fuerunt.

Carbunculi et Anthraces.

Carbunculus eſt affectus gangraenosus mere symptomaticus, et nunquam criti-

criticus; quo enim plures, vel maiores adsunt, eo periculoſior morbus; (*a*) hinc quoque anthrax carbunculo peior eſt. Omnes, qui de peſte scripſerunt, ſuadent carbunculos ſcalpello ad vivum usque incidere, quo eſchara facilius ſeparetur. In noſtra peſte ſcarificationes carbunculorum in multis factae ſunt, quae horum mortem minime retardarunt. Separatio eſcharae eſt naturae opus, et tantum accidere poteſt in hoc morbo, quando humorum putrida degeneratio emendata infra iacentes partes a ſideratione liberas ſervare valet; quo facto, ſola circulationis vis vaſorum ſanorum extremitates ſolvit ab illis, quae ſanguinem amplius non admittunt; ſicque vaſa ſana a parte gangraenoſa in toto ambitu, et fundo recedunt. Attamen ſub his humorum conditionibus, ſcarificationes, pervia adhuc vaſa a preſſione liberando,

ſepa-

(*a*) Conf. Chenot. de peste pag. 183. 184. et vid. ſupra Part. huius Cap. II.

separationem escharae promovebunt, (*a*) ad quam quoque conferent fomenta ex decocto corticis peruviani. Ante escharae separationem, si inflammatio adiacentium partium valida eſt, emollientibus temperari debet. Carbunculus indolens, et collapsus ſtimuletur fomentis et cataplasmatibus antisepticis irritantibus, e scordio, ruta, cepis. Ulcus auxilia chirurgica requirit, quae in aliis ulceribus conveniunt, pergendo in interno usu medicamentorum antisepticorum.

Petechiae.

Vario morbi tempore petechiae in peſte apparent, ut plurimum tamen inter secundam et quartam diem; quo citius, eo peius. Lenticulares et vibices, pessima signa sunt. Puer annum natus, quem pridie sanissimum videram, plures petechias lenticulares co-

lo-

(*a*) Conf. van Swieten Comment. in aphor. Boerhaav. ad §. 435. Nr. 2. Tom. I. pag. 778. et ad §. 444. et 445. Tom. I. pag. 787. seq.

loris violacei in variis corporis partibus ferebat, et inter alias unam in fronte, cuius diameter duas lineas aequabat; eadem die occubuit. Multi petechias unam, vel alteram diem ante mortem gerunt, in plurimis mortem paucis tantum horis antecedunt. Quo illarum color ad nigrum propius accedit, eo peiores censeri debent: attamen gradus periculi non semper ex earum colore absolute determinari poteſt: cum non raro accidat, quod parvae maculae purpureae, pectus et dorsum obsidentes, paulo ante mortem prodeant, (*a*) et peſtis vario modo homines necet, atque impraevisis ſtupendisque symptomatibus omnem doctrinam fallat; quapropter evadunt, quos eadem hora morituros credidisses; quique ob symptomatum levitatem, exanthematum colorem, et vires conſtantes, morbum facile superare videbantur, subito e medio tolluntur.

Ante

(*a*) Conf. Sydenh. Sect. II. Cap. II.

Ante quartam diem, nihil pronunciari poteſt, hac ſuperata, ſpes recuperandae ſanitatis affulget. Quodcunque putridam ſanguinis ſolutionem emendare valet, ad petechias convenit; nulla medicamenra hucusque nota hanc virtutem magis poſſident, quam peruvianus cortex, et acidum vitriolicum. (*a*)

Lipothymia et Aſphyxia.

Lypothymiae frequenter in peſte obſervantur, et aſphyxiae accidunt, in quibus mortuis ſimiles iacent: curam ideoque habeant Magiſtratus, ut nemo ſepeliatur, niſi conſtiterit, vere mortuum eſſe. Hoc eo maiorem eorum attentionem requirit, quod veſpillones, tot calamitatum continuo aſpectu, omni humanitatis ſenſu orbati, cadaverum acervis eodem animo plauſtra cumulent, ac laniones mactatis ovibus et vitulis.

Diaeta.

Eadem diaeta requiritur, ac in febribus putridis. (*b*) Debilibus et convale-

(*a*) Vid. ſupra Part. I. Cap. I.
(*b*) Ibid.

valescentibus vinum aqua temperatum, vel cerevisiam bene fermentatam suasimus: nihil magis conducit ad spiritus languentes excitandos, et vires refocillandas.

Vermes.

Vermes teretes saepe per superiora et anum in peſte eiiciuntur, nonnunquam magna copia. Talis vermium excretio nihil boni praenuntiare solet; nec quidem causa, nec effectus sunt peſtis, ut nonnulli crediderunt; sed quando humores, et bilis praesertim, ad summum putredinis et acrimoniae gradum pervenerunt, intestinis illi minus adhaerent, et habitationem ipsis ingratam facile relinquunt.

Gravidae peſte affectae fere omnes abortum patiuntur, et haemorrhagia uteri pereunt.

Antequam huic capitulo finem imponam, non possum non sententiam Clariss. Chenot de peſtis antidoto referre: (*a*) „ Manet ignota peſtis vera anti-

(*a*) De Peste pag. 288.

„ antidotus, et manebit forte ſemper, „ niſi aliam a maioribus noſtris ineamus viam, idoneaque adipiſcendae „ certitudini inſtituamus et iteremus ex„ perimenta. In ſimplicibus quaeren„ dam eſſe veram peſtis antidotum, de„ monſtrat irritus, infauſtusque per tot „ saecula compoſitorum uſus. Idem „ ſuadet analoga eorum quae habe„ mus, paucorum quidem, ſpecifico„ rum ſimplicium ratio. Profecto, ſi „ opium dolores mitigat, cortex peru„ vianus febres fugat, mercurius mias„ ma venereum domat, aut ſaltem edu„ cit, cicuta ſcirrhos cancroſos reſol„ vit, qui audeat aſſerere humano ge„ neri adverſus morborum diriſſimum „ nullam ſingularem medelam ab ado„ rando ter Optimo rerum Authore „ creatam et conceſſam eſſe; eam fors „ offert in plantis, quas caeterum ra„ ras, aut etiam non ante viſas in „ quadam regione, aut certa eius pla„ ga, magna copia aliquibus annis, „ temporibuſve naſci videmus; quaſ„ que deſes, quae nos tenet in notis

„ remediis, fiducia contemnit, aut ſal-
„ tem negligit in obſervando incuria:
„ ſors eam recondunt compoſita, ſed
„ deſtructa, aut inefficaci virtute. Fors
„ ipſa, quae ad alios uſus adhibemus,
„ remedia. Fors plantae, quarum vir-
„ tutes ignoramus, fors quas ſuſpectas
„ habemus, fors ipſae venenoſae, ani-
„ maliave, fors denique mineralia.„

CAPUT IV.

Prophylaxis.

Generales cautelae, quibus fines regionum contra peſtem muniuntur, iam apud Europae populos Chriſtianos, ubi neceſſe eſt, adeo ſtabilitae ſunt, ut ipſi ubique via interclusa ſit, nec niſi incuria intromitti poſſit. Harum infra mentionem faciam.

In bello cum Turcis.

Antequam ad eam deveniam, quae agenda ſunt, ad praecavendum ulterio-

riorem contagii progreſſum in locis, quae peſtis penetravit, haud inutile fore iudico, paucis praecipuas proferre cautelas, quibus in bellis cum Turcis, exercitus a peſte defendi debeant, et quomodo impediri poſſit, ne ex theatro belli in alias provincias deferatur.

Scimus Mahometanos a pluribus retro saeculis hoſtibus suis saepe plus nocuisse peſte, quam armis. In bellis propter terram ſanctam cum Saracenis exeunte saeculo XI. ad finem XIII. susceptis, tot gentes ex diversis Europae regionibus convenientes, maximam suorum exercituum partem in Asia et Africa hoc morbo perire viderunt.

Capta saeculo XV. a Turcis Conſtantinopoli, et deſtructo Imperio Orientali, bella saepe inter illos et Germanos, Polonos, Russosque orta sunt, in quibus harum gentium exercitus peſtis vaſtavit, ipsarumque regiones invasit.

In bellis cum Turcis exercitus ab hoc morbo omnino liberos servare diffi-

cillimum eſt: milites poſt praelia devictorum hoſtium spolia capiunt, captivos secum ducunt; si peſtis tunc inter eos grassatur, veſtes infectae, vel captivi illam inducunt. At contagii progressus in exercitibus siſtentur, si imperatur, ut omnes aegri ſtatim in nosocomia deferantur, nullusque inter sanos remaneat; si Medici et Chirurgi attenti sunt ad morborum symptomata, atque quamprimum deprehendunt aliquem peſte affectum, illum in peculiare nosodochium, huic soli morbo deſtinatum, et ab exercitu convenienter remotum, cum veſtibus, lecto &c. mittunt, armatura aceto lota, antequam aliis tradatur; si trophaea aëri libero diu exposita manent.

In urbibus captis, ubi peſtis veſtigia reperiuntur, prius, quam milites domos intrent, cubicula pulvere pyrio suffumigentur; vel, si fieri poteſt, illa eligantur, ubi nemo peſte affectus decubuerat. Mihi saepe narravit Excell. Comes Petrus Panin, Turcarum Benderae victor, initio obsidio-

ſidionis peſtem hanc urbem vaſtasse, ibique exſtinctam esse, antequam capta fuerit: hoc fumo pulveris pyrii, in quo die nocteque obsessi haerebant explosione tot tormentorum bellicorum, tribuendum esse credebat; cui opinioni facile assentior. Certum eſt, acida omnia seminium peſtilentiale deſtruere; pulvis pyrius ex sulphure et nitro praecipue conſtat, haec sub detonatione spiritus acidos minerales emittunt, qui vaporum tenuissimorum forma omnia penetrant. Sic pulveris antipeſtilentialis, quo Moscuae usi sumus, sulphur et nitrum basim quoque conſtituunt. (*a*)

Inter loca, quae sunt theatrum belli, et internas provincias limites, vigiliis munitae, ponantur, quas nemo, qualiscumque sit, transire possit.

(a) Aërem nitrosum substantias animales a putredine servare, et incipientem putredinem arcere, constat experimentis celeb. Priestley. vid. eius Experiments and observations on different kinds of air. Sect. VI. pag. 123. seq.

In viis publicis iuxta hos limites exſtruantur domus, quae plura conclavia separata habeant, ubi manere debebunt omnes ab exercitu redeuntes, donec peſtis suspicionem integre exuerint, antequam ulterius progrediantur. Omnia in hisce locis ſtricte observari debent; veſtes arcis inclusae libero aëri exponi; si quis peſte afficitur, in nosocomium deferri, et cubiculum, in quo manebat, mundari et fumigari. Nullae merces transmittantur, nisi prius exploratae fuerint; idem cum trophaeis agendum eſt. Nuncii ibidem literas deponant, quas acu perforatas, aceto immersas, et super fumo accensi iuniperi exsiccatas, alii, intra limites manentes, deferant.

Pestis ingressus.

Miserrima, ac deploranda eſt Medicorum conditio a primo peſtis ingressu, ad finem usque, nisi, poſtquam naturam morbi magiſtratibus declararunt, omnes cautelas cum illis unitis viribus quamprimum adhibendo, adeo felices sint, ut eius primordia, omnibus

bus inſciis, ſuffocent. Quando enim adeo provecta eſt peſtis, ut neceſſariae cautelae naturam mali et periculum divulgent, omnium contumelias Medici ferre debent, mercatorum praecipue, aliorumque lucri avidorum, qui tunc peſtem eſſe, negabunt, eo quod plura hominum millia nondum interfecerit: unicum ipſis supereſt, ut conſcientia, religio, et amor proximi eorum animos erigant ad ferendas iniuſtitias, et adverſa, quae ipſis undique creabuntur. Omnibus itaque bene perpenſis, conſcientiae nutum ſequantur Medici, propriamque ſalutem, tranquillitatem, famam Deo committant. Menſe Februario, dum ſeparabamus, nos peſtem in principio ſuffocaſſe, ineffabili gaudio fruebamur, convicia illorum laete ferebamus, quos a tanto malo liberos ſervare poſſe, credebamus. In ſummo calamitatis gradu, quando cum tota furiarum acie peſtis debacchatur, et nemo amplius de natura morbi dubitat, Medici ſummis anguſtiis urgentur, dum, praeter vitae periculum,

in quo perpetuo cum suis familiis verſantur, tot mortis victimas cadere vident. Sed, quam infelix ille, cui conſcia mens reprobat, quod negligentia, vel quem cives merito incuſant quod inſcitia tot homines in tanta mala proiecerit!

Peſtis primordia clam ſuffocanda.

Si in urbe, vel alio quocunque loco, morbus obſervatur, definitioni, quam dedimus, (*a*) omnino conveniens; acutus nempe, celerrimi decurſus ſupervenientibus inter ſecundam, et quartam diem bubonibus, carbunculis, petechiis variae magnitudinis et coloris, ſimulque valde contagioſus, cephalalgia, et vomitu ut plurimum incipiens; ſi ſimul poſſibilitas adſit, quod per commercium, vel bellum, aliamve quamcunque viam ex locis, ubi peſtis regnat, allatus fuerit; peſtem adeſſe ſe ſuſpicari, Magiſtratibus declarent Medici, dum cives, et reliquos incolas illam celant, ne ſubitum terrorem

inii-

(*a*) Supra Part. huius Cap. II.

iniiciant, et sine necessitate commercio damnum inferant. Cum summum contagium unum ex praecipuis peſtis characteribus constituat, impossibile est Medicis, in primo, vel altero homine, qui in regione, vel urbe quadam, simili morbo laborat, praecipue si peſtis in viciniis non grassatur, absolute determinare, illum pestem esse, etsi reliqua eius symptomata adsint. Spatio aliquot dierum hoc dubium solvi poterit, nam si peſtis eſt, reliqui in eodem cubiculo cum aegris habitantes, illa quoque corripientur.

Quando Medici, quorum doctrina et probitas notae sunt, hisce convicti, pestis praesentiam denunciant, Magistratus, nullo respectu habito ad aliorum Medicorum contrarias sententias, salutis publicae curam habeant, aegros et suspectos extra urbem quam citissime relegando in domum ab aliis aedibus remotam, illamque vigiliis circumdando, ne quis cum ipsis communicationem habere possit. Infecta familia nocturno tempore transferatur sub alio quocunque praetextu, ne peſtem suspicentur cives; in unica enim

haerens contagium, facile clam suffocabitur. Si Magistratibus adhuc dubium de morbi natura remaneret, aliquot capite damnatos cum aegris secludant, horum vestibus induant, nihilque interim in cautelis negligant: duae, vel tres ad summum hebdomades omnem haesitationem tollent: multo enim citius morbus contagium sequi solet.

Pestis divulgata.

Si plures domus infectae reperiuntur, impossibile eſt, naturam mali publicum celare, quia necessariae tunc cautelae illam divulgant. Aegri, et omnes, qui cum illis habitarunt, ab omni communicatione cum reliquis incolis impediantur. Aegrorum supellectilem cremare oportet, exceptis rebus durioris consistentiae, quas aceto lavare sufficiet. Res, quae flammis dantur, non debent manibus tractari, sed forcipibus et baculis, hamis inſtructis, corripi et in ignem coniici, cadaveraque hoc modo plaustris imponi, quibus ad sepulturam feruntur. Conſtituantur viri probi et ſtrenui, qui sua prae-

praesentia et auctoritate impediant, ne aliquid furtim auferatur. Hortentur aegrorum consanguineos, et amicos, ut, si veſtes, vel tale quid nuperrime ab illis acceperint, haec comburant; ac Medici diligenter observent, an iſtorum nullus in morbum incidat.

Consilium sanitatis ex proceribus quibusdam, duobus, vel tribus Medicis, et totidem praeſtantioribus civibus conſtans, sub Magiſtratuum auctoritate omnia dirigat, quae ad publicam sanitatem pertinent. Urbem in regiones dividet, in quarum singulis conſtituet Medicum, qui omnes aegros visitabit, dato iussu omnibus civibus, ut quando ex ipsorum familia aliquis aegrotabit, quam primum notum faciant; ſtatuetur quoque, quod nemo sepeliri poterit, nisi prius Medicus cadaver inspexerit, schedulamque dederit, qua conſtet, an peſte, aliove morbo mortuus sit. Ad hoc peculiares mercedes Medicis dabuntur: si Medicorum numerus non sufficit, Chirurgi iisdem officiis fungi poterunt.

Ple-

Plebis egeſtas, aliorumque avaritia, semper et ubique praecipue fuerunt causae, quae contagium disseminarunt. Parentis, vel consanguinei mortui hereditate privari, aegre fert pauper, qui plus famem, quam mortem timet, iniuſtitiamque se pati persuasus, clam aliquid auferre conatur; alter lucro allectus, omnem metum deponit, dummodo vili pretio emere possit. Unicum, et efficax datur huic malo remedium, sine quo ab omnibus reliquis cautelis nihil sperandum eſt: ex aere publico conſtituatur pecuniae summa, qua omnia, quae comburuntur, ſtatim solvantur. Deploranda enim satis eſt illorum conditio, quorum familias peſtis occupat, qui proximos amittunt, et a reliquis seclusi, mortem exspectant; cur adhuc debent rebus suis spoliari, nullamque spem alere posse, sed extremam praevidere paupertatem, si evadunt? Eligendi sunt cives, qui rebus cremandis iuſtum pretium ſtatuant, illud solvant, vel pecuniam hanc deponant in locum publicum, inscriptis nomi-

nominibus illorum, ad quos pertinet, ut ipsis, si morbum superant, vel eorum heredibus, si moriuntur, reſtituatut. Sumtu publico tam aegri, quam suspecti ali debent, necessariaque ipsis suppeditari: humanitas, et reliquorum incolarum salus id exigunt. Ad hos usus magna pecuniae summa in promptu sit, quo, si necessitas urgeat, nihil moram patiatur. Si a principio peſtis omnia sic ordinantur, multis expensis opus non erit, contagium facile siſtetur, et malum in incunabulis suffocabitur. Extincta peſte, tamdiu seclusi adhuc remanere debent omnes, qui convaluerunt, vel aegris adſtiterunt, donec certo et absque omni dubio conſtiterit, nihil amplius ex illorum commercio reliquis civibus timendum esse. Usus apud omnes gentes Europaeas ad quadraginta dies explorationis tempus protulit, unde quadrantana (quarantaine) nuncupatur, de qua re mentem meam infra patefaciam. Antequam libero civium commercio reſtituantur, omnes veſtibus exuti, aceto laventur

per

per totum corpus, novasque induant; priores cum supellectile comburantur, et domus pulvere antipeſtilentiali ſuffumigetur. Quibus peractis, reliquae cautelae nondum negligendae sunt; sed per plures menses adhuc inquirendum eſt, an nullibi seminium lateat; utrum nemo vestes, vel merces infectas in arcis, aut sub terra absconderit: nam ex tali ſomite peſtis inopinate recrudescere posset. Sarcinis inclusum seminium peſtilentiale, vel fascibus contentum, peius fit, atque sic ad magnam diſtantiam deferri potest, ac diutissime servari. Mora in sarcinis bene tectis, et clausis, vis eius deleteria adeo augetur, ut exempla dentur hominum gravissimis symptomatibus affectorum, vel subito mortuorum, dum tales sarcinas aperiebant (*a*). Anno praeterlapso, poſtquam siluerat Warsaviae peſtis, dum hanc urbem *Erndtel* tran-

---

(*a*) Antrechaux Relation de la peste pag. 65. &c. Chenot. de Peste pag. 166.

transiret, Mariaeburgum et Gedanum cum aula regia discedere debuit: in oppido Langenfurt aurigae uxor puerperio proxima, mense Octobri, culcitras abſtulit, quibus ante annum peſte mortui incubuerunt. His usa mox peſte corripitur cum bubonibus in inguinibus; paulo poſt feliciter peperit, sed haemorrhagia uteri oborta, periit una cum infante. Maritus brevi poſt eodem morbo cum bubonibus et carbunculis mortuus eſt, ac plures alii infecti sunt, quorum ultra viginti moriebantur. Haec infectio ad Februarium usque durabat sine insigniori tamen ſtrage, quia aulici per plures villas et pagos dispersi erant, donec sub mensis Martii initium cessaret penitus. (*a*)

Pestis grassans.

Quando malum altas radices iam egit, res multo difficilior evadit, maximaque calamitas imminet, nondum: ta-

---

(*a*) Erndtel Warsavia physice illustrata pag. 171. 172.

tamen omnino deſperandum eſt, namque; si ex una parte magiſtratus et consilium sanitatis omnem curam impendunt, atque ex altera cives non reluctantes sunt, forte adhuc siſti poterit, favente praesertim anni tempeſtate. Primum eſt praecavere, ne in viciniam et alia loca deferatur. Notum omnibus faciant mandato typis expresso peſtem adesse, contagium in atmosphaera non haerere, sed per solum aegrorum et rerum infectarum contactum propagari; omnes hortentur incolas, ut mandata pro salute publica, singulorumque conservatione, data, ſtrictissime observent; veſtes, et supellectilem, quibus alii usi sunt, non emant: hasque vendere nemini licitum sit. Praeterea, si in una tantum urbis parte peſtis haeret, communicatio cum reliquis intercludatur.

In principio peſtis, dum paucae tantum familiae infectae sunt, publica salus exposcit, ut extra urbem, vel in eadem in locum remotum relegentur, omnisque ipsis communicatio cum reliquis incolis intercludatur; quod quidem

dem cum minimo, quantum fieri poteſt, illarum incommodo, atque cum humanitate ac mansuetudine peragi debet. At, ubi calamitas, infortunio vel neglectu priorum cautelarum, eo devenit, ut multos iam invaserit peſtis, ac per totam civitatem dispersa sit, nulla amplius spes remanet, hisce penitus illam eradicari posse. Inhumanum tunc barbarumque foret, tot infelices familias diſturbare, aegros a sanis violenta manu separando, patrem liberorum, uxorem mariti, senem consanguineorum praesentia et solatio orbando. Haec in talibus circumſtantiis malum gravius reddunt, aegros morbum celare cogunt; praeterea ne quidem loca satis ampla et commoda parari possunt, quae tantum aegrorum numerum contineant. Nihil tamen negligendum eſt, quo tam atroci malo, per contagium longe lateque serpenti, obſtemus.

Tantum eſt in calamitoso hoc rerum ſtatu infortunium, ut, quocunque excogitare potueris, nihil humanitati, qua miseris et afflictis succurrere debe-

 mus,

mus, et saluti publicae, aeque ac ex omni parte accommodatum reperies. Si patresfamilias, uxores, liberos, aedibus suis extrahis, et in nosocomia protrudis, unicum solatium aufers, quod miseris supereſt, calamitatem calamitati superaddis, hominesque in desperationem, nullis vinculis coërcendam, inducis. Etsi minus atrox aliud extremum videatur, dum omnia negliguntur, et contagium sibi relinquitur, aeque crudele eſt, et publicae rei funeſtum; pestis enim vastabit omnem civitatem, integrasque provincias. Medium itaque inter haec extrema eligendum eſt.

Nosocomium cum adiacentibus aedibus, (*a*) vel integrum suburbium de-

(*a*) Aegri sic in plures domos dispersi, minus sibi invicem nocebunt, aërem puriorem haurient, et facilius in sanitatem restituentur. *Mead* suadet, ut omnes peste aegrotantes in campis sub tèntoriis iaceant; nihil efficacius ad sistendum contagium fieri posse arbitror: hoc propter anni tempestatem, vel clima, aliasve circumstantias saepe impossibile est; tunc saltem portae et fenestrae cubiculorum, in quibus decumbunt, apertae serventur, et aër in illis in perpetuo motu

deſtinentur pauperibus peste affectis; necessaria ad victum et curationem ibi sic ordinata sint, ut ea sponte et lubenter iſti petant, sed nemo cogatur. Reliquis domi iacere liceat, dummodo commune quoddam ſignum aedibus infectis affixum ſit, quo facile dignoscantur; ut illa, niſi caute, sani non intrent. Notum interim faciat Conſilium sanitatis, quo modi sani circa aegros se habere debeant, portas nempe, vel feneſtras apertas servare, a spiritu aegrorum, effluviisque corporum et excrementorum cavere, cubicula vaporibus aceti saepe fumigare, et quantum fieri poteſt, corpora, vel res infectas nudis manibus non contrectare, et, ſi hoc acciderit, illas aceto illico lavare.

Sacerdotes, Medicos, Chirurgos, miniſtros, cum bono ſtipendio conſtituere

 opor-

---

motu teneatur. Ventilatio praecipua causa mihi videtur, cur in exercitibus, dum castra tenent, pestis minorem stragem edat: namque, etsi parum, vel nihil ventus in miasma humoribus intime mixtum agere possit, effluvia tamen secum rapit, et citius dissipat, adeoque sani ab aegris non tam cito, nec facile inficiuntur.

oportet, qui peſtiferorum curam gerant.

Magiſtratus curent, ut cadavera non diu insepulta maneant, at eo tantum temporis spatio, ad absolutam mortem determinandam necessario: Vespillones a contagio defendantur veſtibus et chirothecis ex tela piceata factis, quas aceto saepe lavent; cadavera manibus non contrecterent; utria inſtrumenta excogitari possunt, quibus illa praehendent.

Loca sepulturarum ab urbe, et viis publicis, aliqua diſtantia remota sint; cadavera coniiciantur in foveas profundas; et ad effluvia coërcenda, impediendumque, ne canes, vel corvi carnes auferant, strato terrae tegantur.

Iam saepius demonstravi, atmosphaeram, in ipso peſtis furore, sanissimam, et minime contagiosam fuisse, non solum tempore hiemali, sed etiam fervente aeſtate mensibus Iulio et Auguſto, quibus tempeſtas Moscuae aeque fervida esse solet, ac in aliis Europae partibus, exceptis summe meridionalibus; thermometrum enim Reaumurianum fere continuo tunc gradus

calo-

caloris 16 ad 22, et nonnunquam 24 medio die in umbra notat. At, si multa peste mortuorum cadavera diu insepulta iacere, et putrescere sinantur, atmosphaeram effluviis suis adeo onerare poterunt, ut iſta, per quam morbus alias non propagatur, contagiosa, aeſtivo praesertim tempore, evadat, et in viciniam inevitabilem, omnibusque exitiosam labem inferat. Notum eſt, putrescentia animalium cadavera summum foetorem spargere effluviis, quibus circumfusam atmosphaeram replent, quae, quamquam miasma peſtilentiale non contineant, febres tamen putridas malignas inducunt. Plures Auctores historias talium morborum epidemicorum referunt, quos creaverat mephitis exhalans ex congeſtis cadaveribus, hominum poſt praelia, animaliumve in aquis stagnantibus, vel litoribus putrescentium. Inter alios Foreſtus (*a*) hiſtoriam refert morbi epidemici admodum maligni, excitati a pisce ingentis molis ex genere cetaceorum

(a) Libr. IV. Obſerv. IX. Tom. I. p. 302.

rum, in litore maris putrescente: Quanto vero magis in peſte, ubi effluvia aegrorum sanis hominibus adeo exitiosa sunt, similis mephitis vim deleteriam possidere debet.

Ventilatio.

Miasma pestilentiale per ventilationem difflatur; sed minime inde concludere vellem, ad ipsum ex vestibus, culcitris, lana, gossypio, pellibus et similibus substantiis expellendum, sufficere eas libero aëri et vento expositas tenere; ignoramus enim, quantum temporis spatium ad id requiratur, et observationibus conſtat, in locis, ubi pestis siluerat, multo poſt morbos natos esse ex solo attactu rerum, quibus aegri usi fuerant, et quae tantum congestae, etiam in aëre libero, manserant. Diemerbroek (*a*) historiam narrat Pharmacopaei, qui, dum stramen, cui ante octo menses lectus famuli sui peste decumbentis impositus fuerat, et quod per autumnum et hiemem vento, pluviis, frigori, sub parvo tecto exposi-

(a) De Peste Libr. IV. observ. 119.

poſitum manſerat, caſu dextro pede movet, acrem, ac pungentem dolorem in inferiori cruris parte prope pedem ſentit, ac ſi fervida aqua combuſta fuiſſet. Sequenti die epidermis in magnam veſcicam elevabatur, qua pertuſa, effluxit aliquid nigricantis aquae; et ſub illa veſica carbunculus peſtilens inventus eſt, qui vix duabus ſeptimanis ſanari potuit, alias bene ſe habebat. Quis ergo abſolute determinare poterit, quamdiu, et quodnam ventilationis genus haec, vel illa ſubſtantia infecta requirat, ut ab omni nociva particula liberetur? Cumque hoc ſub variis gradibus caloris, frigoris, humiditatis, et ſiccitatis atmoſphaerae admodum variare debeat, multo tutius ſemper erit, graſſante peſte, ſubſtantias, quae ſeminium peſtilentia fovent, (*a*) flammis tradere, duriores vero, ut ligna et metalla, aceto lavare.

Aër noſocomiorum corrigetur, et vis eius lethifera deſtruetur continua

 nua

(*a*) Harum praecipuae ſunt lana, pelles, plu-

nua eius renovatione per portas et fenestras apertas, nec non accensa saepe pulveris pyrii parva quantitate, vel aceto super lateres candentes affuso: conclavia alta sint, et quantum fieri poteſt, pauci in eodem cubiculo iaceant. Sacerdotes, Medici, Chirurgi, omnesque ministri, super vestes pallium induant ex tela piceata factum, similesque chirothecas et ocreas; has aceto saepe lavent, atque spongiam aceto imbutam ante nares et os teneant.

Purificatio aedium infectarum.

Aedes et conclavia, in quibus peste affecti decubuerunt, purificantur fumo pulveris pyrii. Moscuae summo cum successu usi sumus pulvere, quem antipestilentialem vocarunt, cuius basin con-

---

plumae, gossypium, cannabis, panni, linteum, sericum, charta. Farina, vinum, aqua, miasma nunquam recondunt, nisi multas particulas heterogeneas contineant, quibus inhaeret: acetum illud destruit. Corpora duriora, metalla, ligna, vitrum non penetrat, sed eorum superficiei adhaerere potest.

constituebant sulphur et nitrum, additis furfuribus, et vegetabilius quibusdam, abrotano, baccis Iuniperi et similibus, nec non resinis; sed hae resinae inutiles omnino sunt, et pulveris pretium augent. Spiritus acidi minerales per detonationem nitri cum sulphure eliciti, fumo vegetabilium commixtorum diu suspensi tenentur. Fortior, vel mitior hic pulvis paratur, iuxta maiorem minoremve proportionem sulphuris et nitri ad reliqua. Cubiculum, quisquiliis prius combuſtis, denso fumo repletur, iniecto super prunam candentem hoc pulvere; portae et fenestrae clauduntur, ut fumus diutius servetur. Pulmonibus infeſtus est, et homines suffocat; ille qui pulverem carbonibus ignitis iniicit, festinanter aufugit; hocque spatio aliquot dierum ter, vel quater repetitur; et deinde liber aëri aditus per portas et fenestras datur.

Combustio.

Dum vestes, culcitrae, stragula, &c. quae aegris usui cesserunt, comburuntur, caveant homines a fumo;

nam

nam volatiliores miasmatis particulae calore in atmosphaeram elevari possunt, antequam vi ignis deſtructae fuerint. „ Sic (refert Chenot) ministrum pu- „ rificationis , qui imprudens adverso „ fumo se exposuerat , ex combustio- „ ne supellectilis infectae , pestem do- „ mum retulisse , vidimus (*a*). „ Non solum pro adstantibus contagii periculum a combustione rerum infectarum timent Sorbait (*b*) et Lobb (*c*) ; sed etiam , ne per urbem spargatur . Miasma ad aliquam distantiam in atmosphaera dispersum et dilutum , iners fit ; nihilque ex combustione supellectilium infectarum timendum eſt , nisi prope adstantibus , et fumo densiori ab initio expositis , quod quoque praecavebitur, dum simul pulvis pyrius , vel antipeſtilentialis in ignem coniicietur , qui vaporibus suis miasmatis particulas , si aliquae in fumo haerent , destruet .

Mul-

(*a*) De Peste pag. 119.
(*b*) Consilia de peste Viennensi pag. 52.
(*c*) Of the plague pag. 356. seq.

Multo tutius est, res infectas cremare, quam, ut nonnulli Auctores suadent, scrobi infodere, terraque, vel calce viva operire: avaritia enim plures propellere posset ad illas effodiendas.

Acetum.

Acetum seminium pestilens quoque destruit, substantiis duris, et firmis adhaerens; ubi vero intimius in fomite irretitum eſt, ut in pellibus, lana, gossypio, &c. in illud immediate agere non potest; sed acida mineralia sub forma vaporum eorum poros, intimioresque recessus penetrant, et seminium ibi reconditum innoxium reddunt, dummodo vapores satis densi sint, ut nullam particulam miasmatis intactam relinquant: at illa tunc ipsos pannos et pelles corrodunt. Notum mihi eſt, experimenta cum pulvere fumali antipestilentiali Moscuae instituta esse; pelles nempe infectas, illoque suffumigatas hominibus capite damnatis datas fuisse, ut illas induerent, hosque sanos permansisse: sed, cum haec

sub finem pestis facta fuerint, quando tempestas gelida erat, (*a*) et miasma debilius, non inde concludere licet, pelles, similesque substantias infectas, hoc modo suffumigatas, omni tempore periculo vacuas esse. Minima atomus contagiosa, quae vaporum vim forte effugerit, omnem spem fallet. Prudentius itaque, et tutius semper erit in tanto rerum discrimine, supellectiles infectas cremare; nec detrimentum multo maius combustio afferet, quam suffumigatio, quae debito modo peracta, substantias corrosas, et fere inutiles relinquit.

Acetum prophylacticum.

Acetum prophylacticum, vulgo *Vinaigre des quatre voleurs*, parte famae immerito acquisita spoliare debeo, cum eamdem solummodo vim prophylacticam possideat, ac acetum vini genuinum, et adversus contagium nihil magis, quam hoc, praestet. Virtutes ideoque, quas aceto in genere ad-

(*a*) Vid. supra pag. 108. not. a.

adscripsi, illi quoque tribundae sunt; at nihil ultra.

Praeiudicia.

Inter praeiudicia circa pestem, primum locum tenet opinio vix non generalis, quod terror hunc morbum, dum grassatur, inducat; vel saltem, quod timidi et terrefacti facillime ipso corripiantur. Dum pestis Moscuam depraedabatur, nobiles fere omnes aufugerant, remanebant tantum, praeter magnam plebis partem, aliquae familiae nobiles, mercatores, et extranei; plebe excepta, reliqui incolae terrore perculsi erant, etsi variis argumentis eorum animos erigere conaremur, asserentes, ipsis nihil timendum esse, dummodo caute et prudenter viverent. Plebs e contra praedestinationis quibusdam principiis imbuta, nihil timebat, et quando illam de necessariis cautelis pro singulorum conservatione monebamus, respondebant multi, cum capillus ex capite hominis sine Dei voluntate cadere non possit, nullo modo sibi formidandum esse, si ultima hora

a supremo Numine statuta, nondum instaret; si vero advenisset, omnes cautelas vanas et inutiles esse. Arguebamus, et cum nobis sapientiores, rationem et iudicium Dei dona esse, hominibus ab adorando orbis Creatore data, ut bona a malis diiudicare possint, haecque vitare, et illa acquirere satagant; sed omnia incassum. Supellectilem mortuorum vel hereditate clam accipiebant, aut furtim auferebant; aegros, et cadavera nudis manibus contrectabant, haecque, antiquo suo more, osculabantur. Incauta et temeraria plebs sola fere calamitatem tulit, dum reliqui, quamquam meticulosi, tamen incolumes in eadem urbe remanserunt: unde concludere debemus, timorem et terrorem tempore pestis, illam minime inducere, nec audacem animum, eam avertere. Uxor mea, dum, mense Auguſto, multi in vicinia moriebantur, audit mulierem, quae pridie cum alia in domo nostra habitante communicationem habuerat, peste succumbisse; ex subito terrore,

febre

febre inflammatoria corripitur cum cardialgia. Sanguine bis ex pede detracto altera die melius se habet, sed adhuc febricitans: tunc cubiculum intrat eius amica, e villa proxima, ubi peſtem nondum grassari credebamus, recurrens; et flendo narrat, se aufugisse, et asylum amicae petere, quia eodem mane ruri, ante cubiculi sui portam, servam suam peste mortuam invenit. Hoc audito, in animi deliquium aegra incidit, omniaque priora symptomata redeunt, et morti proxima per aliquot dies iacet. Convaluit tandem, nec ipsa, nec eius amica quidquam pesti simile passae sunt. Innumeras historias referre possem morborum ab animi pathematibus, vigente peste, ortorum; nulla praeteribat dies, quin accersiti fuerimus ad aliquot ex terrore in hunc, vel illum morbum lapsos. Unicum hoc animi pathematibus tribuere vellem, quod infecti inde gravius afficiantur, aegri peius se habeant, et difficilius in sanitatem restituantur; validos enim affectus nervo-

sos

sos in multis ista producunt, et perspirationem liberam impediunt.

Ex eo quod referatur (*a*), Hippocratem Atheniensium pestem fugasse accensis ignibus, multi Auctores illos pestis tempore commendarunt. Moscuae a pestis initio, non tantum in plateis, sed ante singulas domos, ignes ex variis vegetabilibus accenderunt, adeo, ut tota urbs denso fumo continuo tegeretur. Contagium non lentius inde serpebat, nec magis parcebat familiis, quarum aedes pluribus ignibus circumdatae erant. Legitur, idem accidisse in peste, quae anno vigesimo primo huius saeculi urbem Tolonem (Toulon) in Gallia vastavit. (*b*) Si morbus epidemicus Atheniensium, de quo agitur, vera pestis fuit, absque omni dubio soli ignes illum fugare non potuerunt; sed aliae circumstantiae debuerunt,

---

(*a*) Galenus de Theriaca ad Pison. Lib. I. cap. 6. et Aëtius Lib. V. cap. 94.

(*b*) D'Antrcehaux Relat. de la Peste de Toulon chap. 22. pag. 148. et conf. Lobb of the plague pag. 54. 55.

runt concurrere ad delendam tam atrocem luem, praecipue in regione calidissima. Potius credendum mihi videtur, fuisse morbum popularem, inductum ab aëre inquinato exhalationibus putridis, in urbe, in quam praeter cives multitudo hominum ex agris congesta fuerat; *(a)* eas correxerunt ignes cum herbis aromaticis accensi, vel dissipavit ventus ignis ope excitatus, et sic morbo epidemico finem imposuit: namque Hippocrates verbo λοιμός non in-

 tel-

(a) Plutarchus, in vita Niciae Atheniensis, Hippocratis coaevi, causam huius morbi epidemici sequenti modo refert (versione Gallica D. Dacier utor) „ Et pour ce qui est de la „ peste, dont Athenes fut affligée, le principal „ reproche en est du a Pericles, qui enferma „ dans la ville, à cause de la guerre, tout le „ peuple de la campagne, ce qui par le chan„ gement des lieux, et par la differente maniere „ de vivre produisit cette horrible contagion. „ Plutarque dans la vie de Nicias, edition in 4. de M. Dacier Tom. IV. pag. 531. Pericles accusatur morbo epidemico ansam dedisse, ruricolas, propter bellum in urbe includendo: concursus et coacervatio tot hominum in urbe clausa potius, quam mutatio locorum et vitae generis ruricolarum, ut Plutarchus credit, hunc mor-

bum

tellexit pestem proprie dictam, sed communem pluribus in eodem loco degentibus febrem; dum enim febrium divisionem tradit, dicit: „ Febrium autem duo „ sunt genera: unum quidem omnibus „ commune pestis (λοιμὸς) appellatur, „ alterum vero ob pravam diaetam pri- „ vatam, prava diaeta utentibus contin- „ gens. „ De Flatibus Cap. 3. Conf. van Swieten Comment. in aphor. Boerhaav. ad §. 566. Tom. II. pag. 10.

Praeservatoria.

Omnia praeservatoria a Loïmographis decantata referre, nimis taediosum foret; praecipua eligam, quibus facile intelligetur, quid de reliquis censendum sit.

Fonticuli.

Omnes fonticulos commendant in brachio, aut crure, vel in utroque simul, pluraque exempla referunt hominum inter peste affectos viventium, qui eorum ope incolumes permanserunt.

---

bum produxerunt. Omni tempore, et in omnibus regionibus observatum est, febres putridas epidemicas, et contagiosas vastare urbes obsessas, magno hominum numero repletas.

runt. Nonnulli Moscuae ſonticulum geſtarunt; ipſemet per integrum annum fonticulum in brachio meo ſiniſtro apertum ſervavi; ſed, cum reliquas cautelas non neglexerim, aeque ac alii Medici, qui ſonticulis carebant, a contactu aegrorum et rerum infectarum caventes, nihil inde concludere poſſum. Clariſſ. Yagelsky, qui res praecipui noſocomii peſtis dirigebat, mihi narravit, inter Chirurgos, qui ibi aegrorum curam habebant, quatuor ſonticulum geſtaſſe, et nihilominus mortuos eſſe; ſe tamen ignorare, an non labore nimio onerati, fonticulos ſuos deligare, et apertos ſervare, neglexerint. Quapropter res adhuc in dubio haerere mihi videtur. Quum tamen a multis commendati ſint, et parum incommodi creent, omnibus, qui inter peſtiferos habitare coguntur, eosque in noſocomiis viſitare, fonticulum habere ſuadeo, non neglectis aliis cautelis, ne ſpe fruſtrata, peſte corripiantur, vel, dum ipſi illius immunes ſunt, alios inficiant. Medici et Chirurgi, qui aegros in privatis aedi-

bus iacentes caute, et prudenter visitant, non adeo contagio expositi sunt, et ab illo magis cavere possunt: cum vero in orphanotrophium pestis forte penetrare potuisset, ubi plurimi cautelas, quas praescripseram, invite observabant, pestisque inter tot infantes, custodes, ministros, magnam stragem edidisset, fonticulum ideo ferebam, ut, si hoc accidisset, abundantem suppurationem, quam Auctores necessariam existimant, iam haberet.

Gonorrhoeam virulentam, et ulcera a peste tueri, non pauci creduut. Plures his affectibus laborantes pestis victimas vidimus. Quamquam in tanto aegrorum numero multi reperirentur, qui cachexia, et variis morbis chronicis afflicti erant, videbatur tamen contagium sanos, vegetosque facilius afficere, quam debiles et senes. Nobilis senex in summo gradu podagricus a peste immunis permansit in eodem cubiculo, ubi eius uxor hoc morbo occubuit, et cum servi utriusque sexus ab ipsa infecti fuerant.

Opti-

Optimum remedium prophylacticum ab aliquibus habebatur spiritus nitri dulcis, cuius guttas viginti, vel triginta cum saccharo saepe deglutiebant: alii corticem peruvianum hoc scopo varia forma sumebant; at, cum contagium simul vitarent, horum vis prophylactica quoque valde dubia est.

Amuleta.

Morbi atrocitatem, et contagii vim consideranti non mirum videbitur, omni aevo homines varia prophylactica excogitasse. In amuletis quoque specificas virtutes quaesiverunt, quae ipsos defenderent a morbo, quem occulta quadam facultate tam multos aggredi videbant. Horum praecipua sunt arsenicum et camphora: illud in petia inclusum, et filo e collo suspensum, super sternum, vel ad scrobiculum cordis ferunt; (*a*) hanc variis vestium partibus insuunt, vel in loculis portant. Nihil ab hisce et reliquis amuletis exspectandum esse, omnia a priori

(*a*) Non solum ad arcendam pestem nihil praestat; sed Diemerbroeckius vidit amuletum

aeque, ac a posteriori evincunt. (a)

Tabaci fumus.

Eximias virtutes adversus contagium pestilens Diemerbroeckius fumo tabaci tribuit, et poſt illum alii Auctores, adeo, ut generalis opinio evaserit, hunc fumum illud arcere. Scimus tamen Turcas continuo fistulam, qua fumum tabaci hauriunt, in ore tenere, et pestem nihilominus apud eosdem quotannis multos trucidare. Haec consideratio non potuit praeiudicium tollere: adeo difficile est receptam opinionem, quamquam falsissimam, ex hominum mentibus evellere. Dum pestis Moscuae caput extollebat, multi nobiles Russi, omnesque extranei, in fumo tabaci, ut sacra anchora, omnem spem ponebant: qui illi assueti erant, saepius fistulam sugebant, alii paulatim assue-

arsenicale, quod impostores magno pretio pro summo prophylactico vendebant, pluribus ardorem internum ac cordis anxietatem, et in medio pectore, ubi illud gestabant, pustulas nigricantes creasse, adeo ut peste se correptos esse, crederent: abiecto amuleto, illa evanescebant. Diemerbroeck de Peste Libr. IV. Cap. 99.

(a) Conf. Chenot. de Peste pag. 242.

assueverunt; usque dum plures viderint ex infima extraneorum gente peste sublatos, quibus huius fistulae usus maxime familiaris erat. Orphanotrophii caminorum scoparius, qui olim miles castra Borussica secutus fuerat, fumum nicotianae in tantis deliciis habebat, ut illum a summo mane ad vesperam quotidie hauriret: hincque se contagio impenetrabilem iactabat. Mense Septembri cautelas adhuc spernens, nocturno tempore sepem transcendit, uxorem in alia urbis parte habitantem, amicosque invisurus. Cephalalgia subito correptus, incepit vomere; altera die bubones sub axilla et in inguine apparuerunt cum summa virium prostratione, et notabili febre, spatioque quadraginta octo horarum, mortuus est: paulo post illum secutus eſt puer duodecim annorum, ipsi famulans, qui magnum bubonem flaccidum sub axilla gerebat.

Creditur vulgo, grassante peste alios morbos non occurrere. Eodem anno 1771. morbos sporadicos cuiuscunque generis curandos habui, imo

et morbilli epidemice regnabant. In monaſterio ad S. Simeonem, ubi ſuſpecti detinebantur, plures infantes morbillis correpti ſunt.

Cautelae perennes in locis contagio expoſitis et finibus Provinciarum Turcarum terris confinium.

Ex antecedentibus patet, quam neceſſarium ſit acribus cuſtodiis ſepire limites provinciarum Imperio Turcico confinium, ne tranſitus hominibus, et mercibus concedatur, niſi prius omnem contagii ſuſpizionem depoſuerint. Difficile eſt, exacte determinare temporis ſpatium ad integram ſecuritatem neceſſarium; pendet enim quoad merces, non ſolum a varia earum natura, magis minusve fovendo ſeminio apta, ſed etiam a diverſis, quibus explorantur, methodis. Pelles, lana, goſſypium miasma intimius recipiunt, et arctius fovent, quam cannabis et ſericum: ſubſtantiarum ſolidiorum, metallorum, lignorum, &c. ſuperficiei tantum adhaeret, unde facile defflatur, vel eluitur. Si ſacci goſſypium et lanam continentes evacuantur,

tur, glomeres solvuntur, et expanduntur, explorationem multo tutiorem esse, cum Clariss. Chenot (*a*) credo, alia superficiali, quam in plurimis locis in usu esse, asserit. Miasma in hominibus diu latere non potest, quin effectibus suis, peste nempe, se prodat. Quamquam arduum sit pronunciare, quantum temporis ad hoc necessarium est, videtur tamen moram exploratoriam pro solis hominibus ultra debitum forsan terminum produci, quando ad quadraginta dies extenditur. (*b*) Sed apud singulas nationes varius usus obtinet, longa experientia confirmatus, a quo recedere tutum non est.

Nullo argumento magis demonstratur harum cautelarum necessitas, quam integra securitate qua gaudent regiones, in quarum finibus strenue observantur, etsi pestis vicinas saepe depopulata fuerit; nec non horrendis calamitatibus, quas minimus in illis neglectus induxit. Hoc testantur cla-

des

(*a*) de Peste pag. 215.
(*b*) Conf. Chenot de Peste pag. 208. seq.

des Massiliae, Olyssippone, Messanae, et Moscuae, eo quo vivimus saeculo, ortae. Filum lineam longum, pure varioloso imbutum, post plures menses, et fortasse annos, variolas producere valet in homine sano, qui dein per contagium mille alios inficit, hique singuli totidem centra fiunt, ex quibus infiniti radii contagiosi procedunt. Eadem vis miasmati pestilenti inesse observatur; quanta ergo cura ipsi aditus praecludi debet, et diligenter caveri, ne minimae seminii particulae introitus detur? Sarcinae omnes solvantur, merces, vestes libero aeri exponantur; saepeque illas ministri nudis brachiis moveant, ad indagandum, an contagiosum quid inhaereat.

Quando advena aegrotat, et pestis symptomata superveniunt, eius supellex comburatur, exceptis metallis et lignis, haecque aceto immergantur, vel ipso laventur: omnes, qui cum eodem homine communicationem quamdam habuerunt, suspecti habeantur.

Summam rerum sanitatis agendarum

rum potestatem in his locis tribuere oportet viris probis, morum integritate, et amore in patriam praeditis, quos nulla unquam ratio, nullus metus a muneris officiis dimovere possint. Medicos et Chirurgos eligere convenit, quibus pestis, cum variis suis symptomatibus, nota sit, qui forti animo praediti sint, et minime meticulosi, quo omnia in casu dubio placide observare queant, ne vanum terrorem iniiciant, vel perniciosae securitati indulgeant.

Methodus, qua Orphanotrophium Moscuense a peste liberum servatum fuit.

Describam nunc methodum, qua orphanotrophium Moscuense a peste liberum servavi, dum dira haec lues, quae urbem tredecim menses occupavit, sex ultimis tot hominum millia iugulabat, ut quisque facile intelligat, quomodo se, suamque familiam, integras domos privatas et publicas, grassante peste, ab illa tueri possit.

Or-

Orphanotrophium (*a*) in medio urbis situm est, ad confluentem Yausae et Moscuae. Locum occupat, cuius circuitus tertiam partem milliarii Germanici aequat; hic munitus erat sepe sex pedes alta. Immensum aedificium lapideum construitur, quod quinque millia hominum facile continere poterit. In parte anno 1769. iam exstructa mille infantes, et trecenti adulti tum habitabant; reliqui, magistri, milites, ministri, operarii, numero circiter centum, in aedibus ligneis adiacentibus. Tribus portis introitus in conseptum dabatur. Ubi mense Iulio observabam, pestem per urbem dispergi, consilium orphanotrophii rogavi, ut portae clauderentur, una excepta, cui ianitor adstabat; introitusque et exi-

(*a*) Hoc innocentiae et infortunii asylum inter omnes per totam Europam eiusdem generis publicas institutiones primum locum sibi vindicat, et munificentiae Augustissimne Catharinae II. debetur; sub cuius auspiciis, cura Illustriss. ac Excellentissimi Ioh. de Betzkoy, viri de patria sua optime meriti, qui vitam et bona promovendis artibus, publicoque commodo impendit, ista institutio perfectioni proxima facta est.

exitus nemini concederetur sine permissione primarii Inspectoris, curarentque farinam, pannos, linteum, calceos, aliaque necessaria magna quantitate in locis adhuc sanis comparari. Mense Augusto, quando pestis ubique urbem depraedabatur, nemini amplius, praeter me, licitum fuit intrare. Homines extra domum mercede conducti sunt; qui necessaria ad victum emebant, et litteras ferebant. Mandatum scriptum ianitori dederam, in quo nominatim notaveram res, quae introduci poterant, et cum quibus cautelis. Lanio carnem in acetum coniiciebat, hancque Oeconomi assistens sumebat. Pelles, lana, plumae, gossypium, cannabis, charta, linteum, sericum non intromittebantur; saccharum reiectis involucris et funibus recipiebatur. Literae acu perforatae aceto immergebantur, et super fumum accensi ligni iuniperi exsiccabantur. Cum cognatis et amicis, ad certam distantiam extra portam stantibus, colloquium habere, omnibus licebat. Mense Occtobri ocrearum

rum calceorumque ducenta paria emere coacti fuimus, aceto illa per aliquot horas immersa tenere iussi, et deinde exsiccare.

Omnes aegros bis de die invisebam; duo Chirurgi sanos mane et vespere inspiciebant; si aliquem aegrotantem reperiebant, me advocabant. Quando quidquam in morbo suspectum mihi videbatur, aegrum a reliquis separatum tenebam, usque dum certior factus essem, pestem non esse. Sic septies mihi accidit, peste affectum inter milites et operarios orphanotrophii reperire; sed cum a primo morbi insultu a reliquis segregati fuerint, eorum nullus alium infecit, praeter caminorum scoparium, qui morbum tyroni suo communicavit. A mense Iulio puerperas et infantes in domum non recepimus, sed consilio orphanotrophii proposueram, interim suburbanam villam ad hunc usum conducere, quod mense Octobri factum eſt. Circa mille homines adhuc de die moriebantur in urbe. Allatos infantes vestibus spo-

spoliare iussi, has cremare, illosque aceto cum aqua prius lotos, novis induere. Detinebam eos spatio duarum hebdomadum in tribus conclavibus a reliquis separatis, quo elapso, si nulla pestis signa inter illos apparuerant, prout unusquisque hoc explorationis tempus absolverat, ad sanos et probatos in praecipuam aedium partem, mutatis vestibus, deferebatur; ubi quindecim dies adhuc remanebant, antequam in orphanotrophium transferrentur. Hos infantes et puerperas quotidie visitabam. Unus cum bubone pestilenti allatus est, et duo explorationis tempore peste cum bubonibus correpti sunt; (*a*) in peculiari conclavi istos, a reliquis seclusos tenui cum mulieribus, quae ipsorum curam habebant: sic contagium ad alios non pervenit. Circa centum et quiuquaginta infantes, qui a mense Octobri allati sunt, sic e mortis faucibus eripuimus. Vere anni 1772. omnia in pristinum osdinem restituta sunt.

PARS

(*a*) Horum supra mentionem feci. vid. Part. II. Cap. III.

PARS III.

VARIA.

CAPUT I.

Cura Prophylactica morſus canis rabioſi.

Canis mediocris magnitudinis Pariſiis anno 1760. virginem ſeptemdecim annorum, ſaniſſimam, temperamentique ſanguinei, bis momordit, et quatuor vulnera brachio eius dextro nudo dentibus inflixit: mitiſſimus ſemper fuerat, et neminem unquam antea aggreſſus erat. Sex horis elapſis acceſſitus, reperiebam vulnera in parte ſuperiori externa brachii, paulo infra cubitum,

ad

ad musculos usque penetrantia, parumper inflammata. Referebant mihi servi, canem hunc alios canes, felesque eodem mane momordisse, ac ante aliquot hebdomades canem rabidum in domum imprudenter allatum fuisse, qui dein aufugerat: inquirendo, omnesque interrogando, haec vera esse, comperiebam. Canis inquietus et morosus erat, nec comedere, nec bibere volebat. Vocabant famosum tunc ad sanandos canum morbos hominem; qui eum rabie in summo gradu affectum esse pronunciabat: poſt aliquot horas convulsus canis periit. Recordabar quoque, illum pridie, dum in eadem domo coenabam, meos, aliorumque calceos momordisse.

Aegram mecum invisit Perillustris ac Celeberr. Sanches, in Aula Petropolitana olim Archiater, vir summa doctrina praeditus, amicus maxime colendus, cui multum me debere gratus profiteor. De methodo prophylactica cogitantes, recordabamur Dissertationis celeb. Dessault Gallice edi-

tae, (*a*) in qua refertur, aliquot homines a lupo rabido morsos, frictionibus mercurialibus sine salivatione, et pulvere Palmarii, ab hydrophobia liberos servatos fuisse, dum alii ab eodem lupo simul vulnerati, qui sibi relicti fuerant, vel saltem frictionibus mercurialibus non erant usi, ipsa correpti, et enecti sunt. Legebamus quoque Tractatum Medici Angli Nugent de hydrophobia, ubi, praeter venae sectiones, et opium, pulveres ex cinnabari nativa et factitia, addito moscho, adversus hunc morbum laudantur.

Cum non statim post morsum accersiti fuerimus, et iam sex horae praeterlapsae essent, omnia auxilia externa, ipsum cauterium actuale, inutilia et superflua iudicavimus. Frictiones in cruribus instituebantur alternis diebus cum drachmis duabus unguenti mercurialis, compositi ex parte una hydrargyri, et duabus axungiae porcinae diutissi-

---

(*a*) Dessault Dissertation sur les maladies veneriennes, la rage et la phthisie.

tissime tritis, addita sub ſinem parva camphorae quantitate. Quotidie eodem unguento quoque inungebantur vulnera, quae deinde tegebantur emplastro de ranis cum mercurio. Decoctum Sarsaparillae saturatum ad libras duas de die potabat, et vespere ante decubitum sumebat pulverem ex cinnabaris nativae et factitiae ana granis quinque, mercurii dulcis, moschi et camphorae ana granis duobus. Omni quinta, vel sexta die medicamen alvum ducens interponebatur. Diaeta constabat praecipue ex lacte, carnibus vitulinis et gallinaceis.

In his per sex hebdomades perreximus, non superveniente salivatione. Libra dimidia unguenti in frictionibus, et vulnerum inunctionibus consumpta eſt. Brachium ab initio inflammabatur, sed inflammatione sponte subsidente, vulnera sensim coaluerunt. Medicamentis omnibus tunc valedixit, semperque ab omni incommodo ex hoc ſonte libera fuit, et nunc adhuc sana vivit.

CAPUT II.

Validissimae haemoptyses vesicatoriis sanatae.

Casus I.

Nobilis virgo triginta et duos annos nata, maxima nervorum sensibilitate praedita, et affectibus hystericis spasmodicis obnoxia, saepissime ab ipsa adolescentia sanguinis sputum passa fuerat, sed parva copia, praecedente semper tussi nervosa. Iam anno 1768. illam videram sanguinem exscreantem, dum in consilium vocatus eram ad eius sororem natu maiorem, quae tunc magnam sanguinis copiam exspuebat, et phthisi pulmonali non diu post exstincta est. Morte dilectissimae sororis nervorum ataxia, et spasmi hysterici in ea augebantur. Initio anni 1769. me

me rogavit, ut sanitatis suae curam suscipere; narrabatque, se singulis fere mensibus paulo ante menstruorum periodum tussicula affici, et strias sanguinis cum sputis mucosis exscreare: idque aliis etiam temporibus accidere, quando animi pathematibus torquebatur. Valde meticulosa, coetus hominum fugiebat, et vitam sedentariam agebat. Lenium antihyſtericorum usu, et moderato corporis exercitio per totam aestatem satis bene se habuit. Autumno subsequente, subito aspectu alterius sororis, quam puerperio cubare credebat, terrefacta, affectibus hystericis, spasmis, tussicula cum haemoptysi, corripitur. Cochleare integrum, et quandoque plus, sanguinis floridi saepissime prima die exspuit, adeo ut partitis vicibus nycthemeri spatio sex circiter uncias cruoris per os reiecerit. Sanguinem ex pede mittere statim iussi, et altera die venae sectio repetita fuit; singulis vicibus uncias decem sanguinis detraximus. Cibum tenuissimum ex lacte et lacticiniis vix

tepidis, atque pro potu hydrogalam; nec non aërem in cubiculo (mense Novembri) frigidum, maximamque corporis et animi quietem, imperabam.

Cum nihilominus sanguinem exscreare pergeret, et maiori quidem copia, venae sectio bis adhuc celebrata eſt, epispastica plantis pedum alligata sunt: emulsiones tunc cum parva nitri quantitate; tincturam rosarum Dispensatorii Edinburgensis ad unciam unam cum aqua fontis omni hora sumendam; vespereque grana quatuor massae pilularum de styrace, praescripsi. Nulla febris aderat, sed pulsum parvum, contractum et durum reperiebam; frequenti tussicula aegra vexabatur: nullum percipiens dolorem, de sola irritatione asperae arteriae, et sensu pressionis in pectore, conquerebatur. Alvum clysmatibus emollientibus liberam servabam. Pergebat tamen haemoptysis, ut ante. Tot venaesectionibus, et sputo tantae sanguinis copiae, adeo debilis facta erat, ut timendum esset, ne protracta haemo-

pty-

ptysi, cito animam efflaret: cumque nullus, ob summam debilitatem, inflammationis metus adesset, praeter memorata remedia, aquam frigidissimam pro potu dare, et lintea aqua gelida madefacta brachiis et sub poplitibus imponere iussi, utque statim, ac haec calefierent, alia aeque frigida admoverentur. Haec per dies aliquot haemoptysin sedare videbantur; sed paulo post recruduit, licet aqua frigida continuo applicaretur, et aegra gelidam potaret. Spasmodicam nervorum affectionem, in pulmonibus liberam sanguinis circulationem impedientem, morbi causam agnoscens, largum emplastrum vesicatorium inter scapulas apponi suadebam. Elapsis quatuor horis, emplastri irritationem sentire coepit, et ab hac eadem hora haemoptysis cessavit. Diaeta tamen eadem, potus gelidus, aër frigidus, tinctura rosarum, sed longioribus intervallis, per aliquot dies continuabantur; dein decoctum corticis peruviani, cui herbae agrimoniae et millefolii infusae

erant, cum lacte sumpsit, et sic omnino convaluit.

Per octodecim menses huius aegrotae adhuc curam habui. Subsequente aestate optima sanitate gaudebat; obesior facta, a tussi et haemoptysi libera erat, nisi quod quandoque instantibus menstruis tussicula superveniret, et per unam alteramve diem parvae sanguinis ſtriae in sputis mere mucosis observarentur. Catamenia, quae tribus mensibus post morbum abfuerant, rite tunc, et suis periodis fluebant. Autumno anni 1770. rediit aliquoties levis sanguinis exscreatio ante menstrua, vel a fortioribus animi pathematibus excitata, quibus ex minima causa semper obnoxia erat; at facile compescebatur venae sectionibus, tinctura rosarum, lenibus antihystericis, oppiatis, et quiete. Vere anni 1771. propter pestem tunc urbem invadentem rus aufugit, nec illam amplius vidi, sed aliquoties mihi literis notum fecit, se bene habere. Aestate anni 1772. audivi, eam haemo-

moptysi, ex validis animi pathematibus orta, periisse.

Casus II.

Mense Febrario anni 1771. Moscuae ad virum nobilem quadragesimum aetatis annum agentem accersitus, inveniebam illum sanguinis magnam copiam exscreantem, et timore valde affectum. Mihi narrabat eius uxor, ipsum ante annum simili morbo laborasse, a quo repetitis venae sectionibus reſtitutus fuerat. Audiebam quoque, aegrum fluxum haemorrhoidalem irregularem saepe passum, et ab hoc ex aliquot mensibus liberum esse. Macilentus erat, cutisque aridissima, et minutae papulae faciem deturbabant. Nocte praegressa partitis vicibus libram integram sanguinis exscreaverat. Tussicula sicca afficiebatur, et dolorem gravativum in tota inferiore pectoris parte sentiebat: quotiescunque tussiebat, plus minusve cruoris sinceri et floridi reiiciebat, nonnunquam ad uncias duas, vel tres.

Ea-

Eadem die vena bis in pede secta fuit, et singulis vicibus libram sanguinis misimus. Emulsiones ex amygdalis dulcibus, eminibus frigidiſs maioribus, et semine papaveris albi, addito nitro, pro potu ordinario frigide usurpando, dedi; cubiculum calefacere prohibui, tempestate frigidissima, et aeger sub levi ſtragulo iacebat. Lac cum hordeo, vel pane coctum, omnem cibum conſtituebat. Duodecim horarum spatio sesquilibram cruoris exspuit; altero mane sanguis ex brachio ad uncias duodecim iterum missus eſt, et cum nihilominus haemoptysis pergeret, vespere hirudines ano admotae sunt, quae libram circiter sanguinis extraxerunt. Pulsus tunc mollis et parvus evasit. Omni semihora unciam dimidiam tincturae rosarum sumebat, et aquam gelidam pro potu. His etsi haemoptysis mitior facta fuerit, nondum tamen siſtebatur; quarta die morbi adhuc plures cruoris uncias exscreavit. In tantam debilitatem inciderat, ut timendum esset, nec mox ultimum spi-

ritum

ritum duceret, nisi sputum sanguinis citissime, et omnino siſteretur. Quapropter, non reiectis relatis auxiliis, lintea aqua gelida madefacta carpis, et sub poplitibus applicata sunt, saepeque mutata. Sic suppressa eſt haemoptysis, et cum illa tussicula; vires sensim redierunt, et mensis spatio convaluit. Toto morbi decursu alvus clysmate emolliente omni biduo movebatur. Diaetam lacteam diu continuare ipsi suasi, et cum rus peteret, ut quater saltem in anno sibi phlebotomiam inſtitui, vel deficiente fluxu haemorrhoidali, hirudines ano applicari curaret.

Casus III.

Idem vir (casus 2.) quem a duobus annis, quibus sanus vixerat, non videram, initio anni 1773. auxilium meum iterum petiit, eodem morbo graviter iacens. Haemoptysis multo validior erat; nycthemeri spatio ultra sesquilibram sanguinis floridi, spumantis, exscreaverat. Eamdem curandi methodum

dum ſequebar; ſed, adeo parum profuit, ut ſanguine ad libram integram quinquies miſſo, et appoſitis ano hirudinibus, cruoris ſinceri uncias duas, quandoque tres, quinta morbi die, adhuc aliquoties exſpueret. Nec tinctura roſarum ad unciam dimidiam omni ſemihora data, nec aquae gelidae potus, et applicatio externa, neque alia in priori morbo adhibita, poſt tantas ſanguinis evacuationes, haemorrhagiam ſiſtere poterant, quae ſummum vitae periculum minabatur. Magnum tunc emplaſtrum veſicatorium inter ſcapulas appoſitum eſt; a prima eius irritatione, tuſſis rarior mitiorque fiebat, et haemoptoe ceſſavit. Pergendo in uſu memoratorum remediorum diaetaeque lacteae, aeger vires paulatim recuperavit, ac in perfectam ſanitatem reſtitutus eſt.

Casus IV.

Dum haec ſcribo (Viennae menſe Maio anni 1776.) auriga, quinquaginta annos natus, ab haemoptoe reſti-

reſtituitur, quae etsi non adeo valida fuerit, ac illae, quarum hiſtorias supra retuli, vesicantium tamen effectus in hoc morbo confirmat. Haemorrhoides internas a quindecim annis ille habet, quotidie fere aliquot sanguinis guttas fundentes: ante tres hebdomades ad me venit, capitis dolore et pectoris gravitate affectus, suppresso fluxu haemorrhoidali. Vena in brachio tusa, sanguis haemorrhoidalis iterum apparuit, et aeger levamen percepit per aliquot dies; se paulo poſt tussi correptus, sanguinem exscreare incepit, et dolorem sentire in latere siniſtro: sputum sanguinis iam olim passus erat, a recalcitrante equo in eodem latere percussus. Venae sectio in pede inſtituitur, infusa pectoralia, emulsionesque praescribuntur, et diaeta lactea imperatur; tussis tamen cum sanguinis sputo, dolore lateris, respirandi difficultate permanet; sed parvus et debilis eſt. Uncias duas, vel tres per nycthemerum exscreat spissi, et fusci cruoris, plerumque sinceri, aliquando

cum

cum sputis glutinosis mixti ; fluxus haemorrhoidalis omnino iterum suppressus eſt. Cum valde debilis esset aeger, nec per phlebotomiam, nec ope hirudinum sanguinem mittere amplius audebam, sed die ab ultima venae sectione secunda ad vesicatorium confugiebam, quod haemoptysin statim sedavit, et mox sufflaminavit: tussis quoque et dolor lateris sensim evanuerunt, sputis coctis prodeuntibus.

CAPUT III.

Iliaca paſſio in gravida.

Clysmatibus ex fumo tabaci cum optimo successu saepe usus eram in ileo, praemissis praemittendis iuxta varias huius morbi species, venae sectionibus nempe, enematibus emollientibus, oleosis, irritantibus, medicamentis laxantibus internis &c.; sed in gravidis,

vidis, illa adhibere occasio mihi nunquam data fuerat, quando anno 1769. cum aliis Medicis in consilium vocabar ad matronam ultra quadraginta annos natam, novem infantum matrem, quos omnes feliciter pepererat, Sextum gravidatis mensem agebat, ab ipso initio bene se habuerat; tunc vero immani dolore in toto abdomine excruciabatur, cum pertinaci alvi conſtipatione: a quatuordecim diebus nulla excrementa deposuerat, quamquam laxantia varii generis sumsisset, et enemata tam emollientia, quam purgante ſtimulo praedita saepe iniecta fuissent. Abdomen magnum durumque reperiebam, singultus iam aderat; et saporem valde ingratum, odoremque excrementorum se continuo in ore et naribus habere aiebat. Ingeſta omnia evomebat; admodum sitiebat: urinam frequenter et parva quantitate mittere cogebatur. Pulsus parvus, durus, febrilis erat, sed non valde frequens; abdominis dolor nunquam remittebat. Uterum in ſtatu naturali et debito situ

ad-

adhuc eſſe, tam infimum ventrem tangendo, quam exploratione obſtetricis certus, ſuaſi, ut ſtatim ſanguis ad uncias decem ex brachio mitteretur, dein enema ex lactis cremore tepido iniiceretur; quibus peractis, fumus tabaci ope inſtrumenti, quod Vienna mecum attuleram, per anum introductus eſt. Hoc omni quarta hora repetebatur, enematibus ex cremore lactis fumo tabaci praemiſſis.

Tribus vicibus poſt clyſmata tabaci ſolum lactis cremorem, prius iniectum, depoſuit: quarta vero ſcybala ſimul excrevit, deinde foeces duras, tandemque pultaceas. Alvo ſic aliquoties exonerata, omnia ilei ſymptomata evanuerunt, ventriculus potum et cibos retinuit, ac aegra dormire incepit. Die ſequente medicamentum laxans eccoproticum ipſi propinavimus, et veſpere paregoricum. Cito convaluit, et abſoluto graviditatis tempore, ſanum infantem feliciter peperit.

CA-

CAPUT IV.

Contusio capitis cum symptomatibus. Fissurae cranii et extravasati humoris super cerebrum, infuso foliorum arnicae sanata.

Arnica iam a longo tempore lapsorum panacea dicitur, et quamquam olim a multis venenum haberetur, ab aliis tanquam optimum medicamentum, extravasatos humores solvens, commendabatur. Nullam legi observationem, quae virtutem extravasatos humores resolvendi, dissipandique huic plantae revera inesse, magis confirmet, quam casus, qui mihi ante biennium hic occurrit.

Virgo viginti novem annorum, mense Iulio anni 1775. vespere in tenebris scalas ascendens, offendit mulierem cito descendentem; fortiter pro-

pulsa, retrorſum decidit, caputque impegit ferro obtuſo, parietibus et gradibus lapideis. Sine motu et ſenſu iacebat; animi deliquio ſuccedebant vertigines, caligines, capitis dolor, agrypnia, nauſea; dentibus aliquid premere, ipſi impoſſibile erat, nec maxillas adducendo, minimum dentium colliſum ferre poterat. Summum dolorem ſentiebat in parte capitis ſiniſtra inter ſuturam ſagittalem et lambdoïdeam, ad angulum oſſis bregmatis, ubi locus tres digitos transverſos latus, adeo ſenſibilis et dolens erat, ut a leviſſima compreſſione vertigines orirentur, et in animi deliquium aegra incideret. In integumentis nihil laeſum, praeter levem tumorem in hoc loco, obſervabatur: at ex reliquis ſymptomatibus cranium, ſi non fractum, ab una ſutura ad alteram ſaltem fiſſum eſſe, conſtabat.

Altera die ſanguis ad libram ex pede detractus eſt, ſubito tunc menſtrua, quae tantum poſt hebdomadem redire debebant, apparuerunt: ſolebant

ipſi

ipſi tres dies perdurare, nunc ultra duodecim abundanter fluxerunt. Agrypniam. vertigines, gravitatem capitis et temulentiam querebatur; ambulare vix poterat: his ſenſim auctis, vertigines et dolor capitis acutiſſimus illam diu pedibus ſtare impediebant, et frontem manibus ſuis ſuſtentare cogebant. Die decima, me inſcio, in balneo tepido per ſemihoram ſedebat, ex quo egreſſa, ingentem uteri haemorrhagiam paſſa eſt; et tanta bidui ſpatio ſanguinis tam grumoſi, quam fluidi copia effluxit, ut debiliſſima in lecto iaceret, extremitatibus frigidis, et pulſu vix non deſiciente. Ad minimum corporis motum grumi cruoris prodibant; nulla febris ab ipſo principio morbi aderat. Cephalalgia immanis erat, et nauſeae aegram valde afficiebant: leviſſima partis laeſae preſſio intolerabiles dolores creabat. Propter imminens vitae periculum ab haemorrhagia uteri, ſummamque debilitatem, ſequentem mixturam praeſcripſi, cuius omni bihorio cochlearia duo ſumſit.

Rec. Aq. communis libr. semis.
Extract. cort. peruvian. drach. unam.
Terrae catechu drach. semis.
Syrup. cort. aurantior. unc. sem.

Misce. Haec per nycthemerum usurpata haemorrhagiam sedabat; et secunda die menſtrua omnino cessarunt, sed reliqua symptomata ingravescebant, cum maxima virium proſtratione. Ex minimo capitis motu in delirium incidebat, quod dimidiam horam, et quandoque diutius, perdurabat; dein mentis compos fiebat, et paulo poſt, iterum delirabat. Partem capitis affectam tangi non sinebat aegra; nam a levissima pressione digitis facta vertigines, nauseae, caligo et delirium oboriebantur. Mecum illam tunc invisit dexterrimus et expertissimus Sacr. Caes. Reg. Apoſt. Maieſtat. Chirurgus Rechberger. Ex omnibus symptomatibus cranium fissum, et humorem inter ipsum et meninges extravasatum esse, iudicavimus. Alvus per enemata libera servabatur; a purgantibus abſtinere cogebant vires ab haemorrhagia uteri proſtratae. Fo-

menta parti capitis affectae imponebantur ex speciebus cephalicis et floribus arnicae, vino rubro infusis. Per tres dies, noctesque continuo deliravit, exceptis parvis intervallis. Arnicam ei interne dare iam ante animus fuerat, sed illius usum tunc contraindicabat immodicus menſtruorum fluxus, quo nunc suppresso, hoc remedium adhuc tentare volui, antequam ad trepanationem, anceps et ultimum auxilium, confugeremus. Decima sexta die morbi infusum sequens praescripsi:

Rec. Folior. arnicae drach. duas.
infunde per $\frac{1}{2}$ horam in aquae communis q. s. colaturam librae unius exhibe.

Huius cochleare omni hora sumebat. Die sequente, quando illam mane invisebam, infusi arnicae libram dimidiam sumserat, et minus delirabat; vespere, integra libra usurpata, melius se habebat, et longioribus intervallis mentis compos erat. De dolore valde conquerebatur, ab occipite ad collum et scapulam siniſtram protendente. Prae-

ter

ter hunc dolorem, nullum aliud incommodum ipsi arnica creavit; cardialgiam nequaquam excitavit; quin imo aegra nauseis minus vexebatur.

Protracto huius medicamenti usu, deliria sensim sensimque breviora facta sunt, et tandem circa diem morbi vigesimam omnino evanuerunt. Alvus libera erat, et urinae limpidae maiori copia fluebant: somnus, appetitusque paulatim redire inceperunt; sed capitis dolor, praesertim sub loco affecto, aegram cruciabat, augebaturque motu quocunque corporis: si caput dextrorsum vertere tentabat, vel a pulvinari parumper elevare, aut, si altius iacebat, vertigines et nauseae subito superveniebant.

Supina iacere cogebatur, occipite pulvinari incumbente, vel capite siniſtrorsum aliquantulum flexo. Hunc situm per tres septimanas adhuc servare debuit, et infusum arnicae usurpare, omnibus symptomatibus paulatim remittentibus. Sexta hebdomade erecto capite in lecto sedere potuit,

et leviter maſticare; menſtrua tunc rite fluxerunt, et paulo poſt e lecto ſurgere incepit, nullumque amplius medicamentum, praeter laxans eccoproticum, ſumſit. Pedem ſiniſtrum diu elevare non potuit, quin, dum illum poneret, dolorem in parte capitis affecta ſentiret; praecipue, quando eodem corpus durum, vel nodos tabulati offendebat. Elapſis a morbi principio duobus menſibus, domo exivit integra ſanitate gaudens, niſi quod in rheda vehi per aliquot tempus adhuc non potuerit. (*a*)

Quot miſeros a crudeli et periculoſa operatione ſervaret remedium, humores intra cranium a contuſionibus capitis effuſos reſolvens, diſſipansque, illi praeſertim ſciunt Medici et Chirurgi, qui in noſocomiis caſtrenſibus militum curam habuerunt: Hanc virtutem arnicae ineſſe teſtatur relatus caſus, aliaeque obſervationes forte

---

(*a*) Sana adhucdum vivit Iunio anni 1777.

forte in poſterum confirmabunt. Nunquam ſaltem in ſimilibus morbis ad trepanationem confugere ſuaderem, niſi prius arnicae effectus tentatus fuerit.

Finis Tomi primi.

INDEX CAPITUM.

PARS I.

Conſtitutio epidemica obſervata Moſcuae annis 1768. 1769. 1770. pag. 17.
Caput I. *Febris catharrhalis putrida anni* 1768. . . . ibid.
Caput II. *Febris putrida biliosa anni* 1769. . . . . . . 67.
Caput III. *Febris putrida nervosa anni* 1770. . . . . 73.

PARS II.

Peſtis.

Caput I. *Hiſtoria peſtis Moſcuenſis anni* 1771. . . . . 83.
Caput II. *Diagnoſis peſtis* . . . 115.
Caput III. *Curatio peſtis* . . . . 142.
Caput IV. *Prophylaxis* . . : . . 162.

PARS III.

Varia.

Caput I. *Cura prophylactica morſus canis rabioſi*. . . . . . . 208.

Ca-

Caput II. *Validissimae haemoptyses vesicatoriis sanatae.* 212.
Caput III. *Iliaca passio in gravida.* 222.
Caput IV. *Contusio capitis cum symptomatibus fissurae cranii, et extravasati humoris super cerebrum, infuso foliorum arnicae sanata.* . . . . . 225.

Cap. II. [illegible]

Caput III. [illegible]

Caput IV. [illegible]

[illegible] mense.